



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Liber Primus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

ducuntur, perpendant ulterius eruditi, annon opposita sint iis, quæ ex pluribus ejusdem scriptis contra hanc *medietatem* in Controversia de *Purgatorio* sunt vindicata; ut non dicam, melius omnino non esse, quam vivere in æternum extra statum visionis beatificæ, quod per simile vel exemplum Absalomî à facie Patris remoti, utut in gratiam recepti potest illustrari, quia de cætero, quâ libertate dicti scriptores gaudent in recedendo ab autoritate Augustini, Evangelicos etiam gaudere in dubium vocari non debet.



Tertia Controversia generalis.

De

REPARATIONE GRATIÆ,

& prima principalis,

De

GRATIA ET LIBERO ARBITRIO, LIBRI PRIMI

CAPUT TERTIUM & seqq.

De *Questione*

An Gratia gratum faciens sit qualitas per modum habitus in homine permanens?



Bellarminus adfirmat, & quidem ex sententia communi Theologorum, de *Lombardo* monens, quod etsi charitatem non aliquem habitum, sed ipsum Spiritum S. esse videatur, docere tamen cum *S. Augustino*, Spiritum S. non solum eos in habitare, qui actu eum cognoscunt & diligunt, sed parvulos etiam baptizatos, qui eum actu neque cognoscunt neque diligunt, ex quo putat sequi, ut crediderit, *Spiritum S. per habitum aliquem habitare in parvulis.* Hoc ut demonstraret, inter cætera scripturæ loco provocat ad per Christi verba, dicentis, *Aqua, quam ego dabo, fiet fons aquæ salientis in vitam æternam.* Addit, fons iste Spiritus Sanctus est per gratiam inhabitans, sive gratia Spiritu S. inhabitante diffusa, quod colligi putat tum ex loca parallelo, tum ex Patribus, nominatim *Cyrillo, Theophylacto, Hieronymo, Basilio, Ambrosio, Chrysostomo*, à quibus *Augustinum* & alios interpretes non dissentire scribit. Præter id sequentem quoque adducit Augustini locum: *Ille, in quo omnes vivificabuntur, præterquam, quod se ad iustitiam præbet imitantibus exemplum, dat etiam sui spiritus occultissimam gratiam, quam latenter etiam infundit & parvulis.* Subjungit Bellarminus illustrationis ergo, *Hic sanè negari non potest, quin S. Augustinus de gratia habituali loquatur, quæ & occultissima est, & cujus solius capaces sunt animi parvulorū.* Subjungit, eundem Doctorem sanctum dicere, *parvulos per Baptismū converti ad Deum, cum ante ea essent aversi;* quod existimat intelligi non posse, nisi de *Conversione habituali per infusum habitum* charitatis. Et quia pro sententia Evangelicorum non nescivit Bellarminus aliqua militare Augustini testimonia, ideo ad ea respondere conatus est pro viribus. Duas autem ex eo produxit objectiones, quarum priorem desumptam esse dixit ex illis Augustini verbis, quibus ita loquatur de gratia, ut videatur velle, *eam non esse habitum, quo nos utamur, sed ipsum potius Spiritum S. qui nos regat & moveat,* comparando liberum nostrum arbitrium jumento, & DEI gratiam fessori, à quo jumentum gubernetur & regatur; & scribendo, *in operibus gratia voluntatem nostram esse comitem, non ducem, pedissequam, non præviam.* Respondet Bellarminus, *S. Augustinum loqui de gratia simul creatâ & increatâ,* id est, de DEO, qui per dona sua creata sedet in nobis, & variis modis nos ducit, regit, moderatur & gubernat, non secus ac fessor jumentum, quod existimat Apostolum illis admonuisse verbis, *Qui Spiritu DEI aguntur, hi sunt filii DEI.* Addit, Hinc autem non tolluntur habitus creati & infusi, sed potius adferuntur &

Joh. 4.

1. de præca-
mer. &
tem. c. 9.

ibid. c. 34.

1.3. Hypog.
Epist. 100.

Rom. 8.

con-

Ephes. 3.
Rom. 5.
1. Epist. 4.

confirmantur; nam DEUS per habitus illos habitat in nobis, quod de Fide testatur Apostolus, cum ait, *Christum habitare per fidem in cordibus*. Et de charitate, *charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*. Et S. Johannes, *Qui manet in charitate, manet in DEO, & DEUS in eo*. Ipse etiam Sanctus Augustinus in Epist. 106. citata dicit, *Gratiam in nobis augeri & perfici, id quod nisi de gratia creata intelligi nequit, scribens, gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici, comitante, non ducente, pedissequa, non pravia voluntate*. Subdit Bellarminus, & quamvis habitibus, qui sunt in nobis, utamur cum volumus, tamen indigemus præterea divinâ cooperatione, directione, protectione, læpius etiam novâ inspiratione, novoque impulsu. Et ideo recte Sanctus Augustinus dicit, *in operibus gratia voluntatem nostram potius comitem, quam ducem, & pedissequam magis esse, quam præviam*. Posteriorem Bellarminus objectionem desumi scribit ex Augustini verbis, quibus dicere videtur, Pelagianorum fuisse sententiam, necessariam esse gratiam habitalem, per quam evehantur homines ad statum filiorum DEI, sic loquendo:

1.1. de pecc.
mer. &
rem. c. 18.

Illi, Pelagiani videlicet, monent & aliquid consideratione ac discussione dignum videntur adferre, qui dicunt, parvulos recenti vitâ editos visceribus Matrum non propter remittendum peccatum percipere Baptismum, sed ut spirituales procreationem non habentes, creentur in Christo ipsius regni Cælorum participes, sicut eo modo filii & heredes DEI, coheredes autem Christi. Addit Bellarminus, hanc Pelagianorum sententiam referre Augustinum alibi etiam, & refellere, dicendo, *nullam esse causam, cur*

1. 6. in Jul.
c. 4.

infantes excludantur à regno DEI, si nullum habeant peccatum, quamvis non regenerentur in Christo. Bellarminus respondet, nusquam ab Augustino reprehendi Pelagianos, quod regenerationem & adoptionem filiorum DEI parvulis necessariam esse dicerent ad regnum Cælorum obtinendum, sed quod negarent, necessariam esse etiam ad peccatum originale purgandum. Pelagiani siquidem, *ita pergit respondere Bellarminus*, tum in parvulis, tum in adultis gratiæ necessitatem aliquam non negabant, sed non integrè & perfectè, ut oportebat, veritatem confitebantur. Agnoscebant in parvulis gratiam adoptionis, gratiam remissionis peccati originalis non agnoscebant. Fatebantur adultis necessariam esse gratiam remissionis peccatorum, gratiam, quæ naturam sanaret & in bonis operibus faciendis peccatisque vitandis juvaret, minimè fatebantur. Quod autem Augustinus non reprehendat Pelagianos, quod attinet necessitatem Baptismi in parvulis propter regnum Cælorum, perspicuum est ex sequentibus verbis: *Non ad regnum DEI natos, nisi persundantur id est, baptizentur, admittitis, atque ita persundi multò melius iudicatis, quam nasci*. Ibidem, *Enumeras, quæ fides verâ non dubitet Christiana, in quibus ea commemoras,*

l. cit.

1. 2. contra
duas Epist.
Pelag. c. 6.

quæ omnia panè predicamus & nos. Et alibi, *Si parvulos negatis atrahere, quod in Baptismo remittitur originale peccatum, tamen in illo regenerationis Lavoacro adoptari ex filiis hominum in filios DEI non negatis*. Addit Bellarminus, non igitur hanc adoptionem & naturæ humanæ exaltationem per Christum in sententia Pelagianorum reprehendit Augustinus.

1. 6. in Jul.
c. 4.

Nunc sequitur obiectio nova vel potius repetita ex Augustino: Quid igitur sibi vult, inquires, cum putat absurdum, si parvuli non baptizati excludantur à regno, si juxta Pelagianorum sententiam nullum habeant originale peccatum? Respondet Bellarminus, non iudicari absurdum ab Augustino, si parvuli non adoptati in filios DEI, quamvis omni peccato carentes, excludantur à regno; sed si non adoptentur, cum nullâ suâ culpâ meruerint excludi ab adoptione, & per hoc à regno, præsertim cum alii per multi sine ullis suis meritis gratiam adoptionis & participationem regni cælestis adquirent. Nunc enim cum quaeritur, cur ex parvulis alios DEUS per Baptismum ad regnum Cælorum adducat, alios sine Baptismo mori & à regno excludi permittat: respondere solemus, ut in illis misericordiam, in istis Justitiam suam demonstrat. At si nulla sint peccata, mirum profectò erit, si DEUS infantes aliquos innocentes atque ad imaginem suam creatos nolit in regno suo, atque ut eos ibi non habeat, sine Baptismo interire sinat, cum alios item infantes & similiter innocentes per Baptismum adoptet in filios, & in regnum suum perducatur, non sine aliorum dolore, qui excluduntur. Hanc esse, *ita pergit Bellarminus*, beati Augustini sententiam, ex verbis eis perspicuum est, respondens enim ad Juliani verba, qui dixerat, DEUM infantibus nihil boni vel mali merentibus gratiam regenerationis tribuisse, si loquitur: *Quid eum offenderunt, quos pariter*

pariter innocentes, mundos a se ad imaginem suam creatos innumerabiles ab isto munere (regenerationis videlicet) alienat, nec eorum voluntatem praevenit huius ineffabilis beneficii largitate, separans tot imagines suas a regno suo? Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum DEI tot innocentes imagines DEI, si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsos imaginem creantur, nihilne mali de hac ipsa separatione patientur? Postremo, ubi libet sint, quomodo libet sint, sub DEO iudice, qui nec fati opremitur, nec personarum acceptione corrumpitur, in illius regni felicitate non erunt, ubi erunt, qui pariter nihil boni mali meruerunt, sed si nihil meruissent mali, nunquam privarentur in communi causa tanti boni communione.

Hæc Bellarminus ex Augustino, de quibus ante-quam, quid sentiendum sit, dicatur, præmitti debet necessario brevis quædam censura illarum gratia Divisionum, quas in antecedenti capite Bellarminus exhibet, quatenus videlicet autoritas Augustini desiderat vindicias, hic ex instituto non omnino negligendas; de cæteris enim ad hunc scopum non pertinentibus ab aliis actum est sufficienter. Prætermisissis igitur tribus prioribus partitionibus gratia, ad quarum explicationem nullo Bellarminus est usus Augustini testimonio, placet huc excerpere, quæ circa tres posteriores ex Augustini sententia Hülfemannus noster, de hæc Controversiâ enucleatissimè tractatâ, si quis, meritis in prima Disputatione de *Auxiliis Gratia*, contra Bellarminum & alios plures entia præter necessitatem multiplicantes notavit observatu dignissima, in sequentem redigenda epitomen. Postquam verò in genere monuit, quod ipsas gratia species attinget, quamvis parum inter sit, quo nomine adpellatur quæque, dummodo effectus formalis ejus a reliquis distinguatur, & Augustinus ipse uni gratia actui varias tribuat adpellationes, adeo ut pro singulis speciebus propria quarti modi nomina ejus scriptis desumantur non possint, quia tamen & Papiſtæ & Calviniani ejus autoritate abutantur in partitione gratia, expedire ut inquiratur, num ejus mentem sint adsecuti; ad eam in specie se confert, quæ Bellarminus Auxilium speciale partitur in gratiam excitantem & adjuvantem, vel quod in sequentibus eodem putat recidere, in gratiam prævenientem & subsequentem; excitantem scribens consistere in illustrationibus atque inspirantibus, adjuvantem in cooperatione divina, tam ut eligamus, quam ut faciamus, quod DEUS inspiravit. At præter id, quod ostendit, ipsummet Bellarminum hic & alibi duas has gratia species confundere, & ad ejus exemplum alios quoque, videlicet *Beccanum, Valentiam, Molinam, Tannarum &c.* omnem gratiam excitantem vocare etiam adjuvantem, *Svarexium* autem conari pluribus evincere, gratiam excitantem, prævenientem & operantem esse eandem cum adjuvante, concomitantem verò, subsequentem & cooperantem esse eandem cum excitante, adeoque nihil differre; ex Augustini sententia non dici, nos ad eligendum adjuvari, quasi eligere ex nobismet ipsis possimus, ut potè qui gratia adjuvanti & cooperanti, post initium conversionis factum, demùm concedat locum, reprehendens Pelagium, qui adjuvarinos dicat in omni bono opere, quasi initium à nobismet ipsis fecerimus, verbis sequentibus: *Cur non dixisti, voluntatem hominis excitari ad bonum opus? sed dicis, in bono opere à gratia semper adjuvari: tanquam per se, sua voluntate, nullâ DEI gratia opus bonum aggressus in ipso primùm opere divinitus adjuvetur.* Et de gratia cooperante: *Vt velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur.* Addit Hülfemannus, simul hinc liquet, quam congruè Augustino loquantur Papiſtæ, quando omnem gratiam divinam, tam primam, quam succedentem vocant *auxilium*, eaque voce omnes omnino species gratia concludi ajunt; contra mentem Augustini, qui excitantem & adjuvantem gratiam opponit, dum Papiſtæ ἀδρυζέλον inde conflant, quasi qui excitatur à morte peccati, juyetur tantùm ad resurgendum, & non tam excitetur ad velle resurgere, quam ad resurrectionis complementum. Idem absurdum, inquit porrò Hülfemannus, incurrit Bellarminus, quando gratiam prævenientem vocat *Auxilium*. Quatenus enim quis prævenitur, non adjuvatur, jam antè agit. Sed maluit Jesuitæ omnes gratia species auxilium vocare, ut ostendant, vires & potentiam nostram suscitari tantùm, excitari tantùm, augeri tantùm, nullas indi; quæ in re Apostolum pariter & Augustinum habent adversarios. Apostolus excitantem eam vocat gratiam, quæ à mortuis nos suscitatur. Quis verò defunctiorem semet adjuvat, ut à mortuis suscitetur: Augustinus excitantem & adjuvantem gratiam distinguit in hoc, quod illa in nobis sine nobis, hæc nobiscum operetur.

vid. ID.
Mein. An-
throp. S.
Dec. II. ab
init.

Cap. II §.
18. & seqq.

I. I. contra
das Epist.
Pelag. c. 19.
de Grat. &
lib. Arb.
cap. 17.

Eph. 2. & 5.

I. cit.

Ad

Ad quintam gratiæ partitionem, quæ est inter sufficientem & efficacem, observat *Hülsemannus*, nulla Bellarminum & complices ex Augustino producere, documenta *Addit hanc notationem*, Meminit quidem alicubi Augustinus gratiæ insufficientis, sed eam non dicit inefficacem, quomodo Bellarminus opponit efficacem sufficienti. Eius verba sunt: *In quibusdam tanta est fidei gratia, quanta non sufficit ad obtinendum regnum Cælorum, sicut in Cornelio fuit.* Ex quo manifestum est, subiungit *Hülsemannus* Augustinum non voluisse aliquam gratiæ speciem efficaci contradistinctam adferere, sed gratiam Cornelio datam ante plenam conversionem ad Christum ab aliqua efficacia describere, licet non tanta, quanta requiratur ad obtinendum regnum Cælorum. *Et post plura*, Cornelio gratia, quam habebat ex Augustini mente, non sufficiebat ad plenam beatitudinem, quia sine intercedente gratia maiore salutem non poterat adsequi; sufficiebat tamen ad progressionem & pleniorē de Christo informationem, & successivē ad gratiam maiorem consequendā. Ita & illa dicitur gratia sufficiens ad salutem, quæ eam non immediatē sed mediante aliā quādam gratiā potest adquirere. De hac gratia sic loquitur Augustinus: *In quibusdam est tanta fidei gratia, quanta non sufficit ad obtinendum regnum Cælorum, sicut in Catechumenis, sicut in Cornelio, antequam participatione Sacramentorum Ecclesiæ incorporaretur &c.* *Fiunt igitur in Conversione inchoationes conceptionibus similes. Non tamen concipi solium, sed etiam nasci oportet, ut ad vitam perveniat aternam. Nihil horum fit tamen sine gratia misericordie DEI &c.* Iterum post aliqua, Augustinus utitur nomine gratiæ efficaci, non ut hanc reliquis gratiæ speciebus quasi in efficacibus, vel sufficienti etiam contradistinguat, nec talem gratiam indigitat, quæ ex absolutā DEI determinatione ad solos spectet electos, eosque convertat modo naturalibus & corruptis eorum adfectibus singulariter congruo, ut Bellarminus commentatur. Statuit quidem Augustinus, *conferre DEVM aliquibus suam gratiam tantā efficaciam, ut certo & infallibiliter eos convertat, quam vocat altam atque secretam vocationem*, Et Apostolum Paulum *efficacissima vocatione conversum ait*; item, *esse quandam gratiam, quæ a nullo corde dano respuitur, sed ideo tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Sed, quod solam hanc gratiam proprio nomine vocet efficacem, eamque sufficienti contradistinguat, nemo hactenus evicit. Ex locis verò allegatis adparet, Augustinum ita gratiam efficacem ab intentione DEI & effectu simul non quovis denominare, quia quæ gratia homini persuadet veritatem historiæ, efficacis etiam est, *sed ab effectu Conversionis realis*; nec enim simpliciter talis ab eventu dicitur, sed etiam quia DEUS intendit, præmissis & admissis ordine reliquorum gratiæ actuum, id est, post admissam prævenientem atque operatam gratiam, Conversionis complementum, actu addere, id est, vult præter incipientem & operantem gratiam, aliquam favoris etiam sui esse tantam, quæ Conversionem actu producat, quomodo vult iis, qui jam sunt conversi, perseverantem largiri gratiam, quod, non positus actibus illis præcedentibus, non vult. Non enim intendit gratiam ad perseverandum in conversione illi dare, qui se ad conversionem duci passus non fuit, vel quem ab æterno prævidit, non passum iri. Tandem, operantem & cooperantem gratiam, quam *Alvarez & Tannerus* atque alii eandem ajunt cum præveniente & subsequente, excitante & adjuvante, esse illius gratiæ efficaci & peremptoriæ species ab Augustino sic dictas, falsum est. Esto enim primo, quod Bellarminus ait, operantem gratiam esse primum actum voluntatis deliberatæ, cooperantem verò, quæ efficit actus sequentes, ut, velle Sacerdotem quærere &c. nunquid actus hi solis prædestinatis sunt proprii: annon & Simon Magus id fecit? Secundo, impossibile est, ut ex hypothese Bellarminianâ actus deliberatæ voluntatis fiat sine nobis cooperantibus. Quæ verò tantum inclinatur ad agendum, sive sit physica, sive moralis causa, ea non proximè producit actum, ideoque nec respectu hoc gratia operans dici potest, ut tenet idem Bellarminus. Tertio, Augustinus primam voluntatem tam deliberatam, quam indeliberatam, quæ vult conteri, vel credere, adferit excitari in nobis sine nobis, ut ex eius ipsi testimonio quæ Cardinalis pro se adduxit, quivis intelligit facile neque distinctionis inter causam moralem & physicam apud Augustinum adparet ullum vestigium. Ita autem scribit. *Aliter DEVS præstat, quod voluerimus, aliter quod velimus. Illud operatur in nobis sine nobis, hoc suum esse voluit & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo.* Hactenus aut mentem Augustini de tribus posterioribus gratiæ partitionibus à Bellarmino post alios plures commendatis ex *Hülsemanno*, quæ ad sequentia etiam ab eodem Bellarmino in gratiam eorundem uberius adducta possunt sufficere in antecedentem.

1.1. ad sim-
pl. qu. 2.1. cit. qu. 21.
in medio.Epist. 107.
de grat. &
ib. arb. c. 5.

A. 8.

1.1. ad simpl-
qu. 2.

cessum. Nunc quod attinet *Gratiam gratum facientem*, sicut eam sensu Papæo acceptam, qualiter videlicet ipse Bellarminus præter alios describit, utpotè Fidei analogiæ contrariam admittere non possunt Evangelici; ita dum ex prædicamento relationis in prædicamentum qualitatibus eam transferunt Scholastici, & eorum exemplo Bellarminus, definiendo per infusum & permanentem habitum, ipse *Iansenius Iprensis* recentiorum, hanc gratiam habituales numerans inter eas, de quibus non malè monet, quod cum in finem ab iis proferantur, *ut sensa & pronuntiata sua tueantur, etsi nunquam vel per somnum à Pelagio Augustinoque disceptantibus fuerint cogitata.* Equidem quod in gratiam veritatis silentio tegi non debet, dudum est, quod *Mesnerus* noster de hac distinctione in gratiam habituales & actuales observavit, *eam non omninò rejiciendam esse*; nec posse negari, renatos per quotidiana operum bonorum exercitia & continuatam carnis mortificationem habitualiter bonos fieri. Sin verò Bellarminus & cæteri recentiores à *Iansenio* indigitati per gratiam habituales intelligant gratiam justificantem, uti videtur omninò, vel putent, primo Conversionis tempore perfectos charitatis, spei & reliquarum virtutum Theologicarum habitus infundi, admitti hoc sensu distinctionem istam non posse. Nimirum, non simpliciter Evangelicos inficiari omnem gratiam habituales, cum renati non solum iuste operentur, sed etiam iusti sint, ad quod requiratur inhærens iustitiæ habitus, qui veris & constantibus renatis denegandus non sit, licet is duntaxat sit inchoatus, non consummatus, neque Justificationis nostræ actum impediatur. Addit *Gerhardus* itidem noster, in evolvensendo Controversiæ statu felicissimus, non venire hic in quæstionem, an in quibusdam scripturæ dictis vocabulum gratiæ usurpetur pro donis ex gratia datis, neque etiam, an renovatio per Spiritum S. sit beneficium Christi credentibus ex gratia donatum; quin nec an gratuita DEI misericordia credentes propter Christum recipientis in gratiam, & donum renovationis per Spiritum S. semper sint conjuncta, utpotè quæ omnia & singula ab Evangelicis non vocantur in dubium, sed quæ nã propria sit vocabuli gratiæ significatio in articulo Justificationis, & quando dicimur gratiæ justificari & salvari an illud renovationis beneficium vel solum, vel una cum ipsa renovatione & peccatorum remissione denotetur, item, an propter illud à Deo in gratiam recipiamur, vel quod eodem recidit, ac donum illud renovationis sit intelligendum, quando de gratia justificante agitur, quæ dum scriptores Papæi impertinentissimè confundunt, Doctores Evangelici è contrario ad S. Scripturæ ductum, præviis etiam Patribus orthodoxis, *Augustino* præmissis, accuratissimè docent distinguenda, tanquam prius nimirum & posterius, gratia justificatrice gratiam renovatricem antecedente & post se respectu ordinis trahente.

Quibus ritè observatis erit facile ad ea respondere, quæ Bellarminus pro gratia habituali gratum faciente ex Augustino adduxit. Etenim si de gratia renovatrice intelligantur, uti par est ea intelligi, Evangelicis non sunt opposita, utpotè quorum mens hic etiam est Augustiniana. Quia verò Bellarminus gratiæ justificatrici hic prælusisse videtur, de quâ in sequentibus agitur uberius, idè ostendendum venit, Augustini auctoritate eum hic, ut aliàs, abusus, & Doctorem sanctum contra mentem ad suas trahere partes conatum esse. Et quidem, quod attinet testimonium, cujus *Lombardus* facere mentionem scribit, juvat ipsa adscribere verba, ex Epistolâ ad *Dardanum* desumpta, ut quæ sententia augustissimi Patris fuerit, eò melius fiat manifestum. *Multum mirabilis res est, scribit quemadmodum quorundam nondum cognoscentium Deum sit inhabitator Deus, & quorundam cognoscentium non sit. Nec enim illi ad Templum Dei pertinent, qui cognoscentes Deum non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, & ad Templum Dei pertinent parvuli Christi sacramentis sanctificati, Spiritu S. regenerati, qui certè regenerati per etatem nondum possunt cognoscere Deum, Undè, quem potuerunt illi nosse, nec habere, isti potuerunt habere antequam nosse. Beatissimi autem sunt, quibus hoc est Deum habere, quod nosse.* Hæc ex Augustino habet *Lombardus*, agens in tota hac distinctione de diversis aliquibus modis, quibus in creaturis dicatur esse Deus, adductis exempli loco parvulis per Sacramentum Baptismi regeneratis, quæ quâ ratione ad gratiam habituales pertineant, per quam à Deo primum sint in gratiam recepti, nemo quamvis oculatissimus perspicit. Utut enim expressi fiat mentio *sanctificationis*, nemo tamen nescit, quod infra uberius docebitur, gratiam sanctificatricem pertinere potius ad renovationem, quàm ad ipsam justificationem, adeoque hæc ordine posteriori esse. Eadem est ratio verborum Christi à Bellarmino commendatorum *de fonte*

Hh h h

Salien-

salienti in vitam æternam, Barradio testimonium perhibente, ex sensu non solum Cypriani & Ambrosii, sed etiam Augustini, Baptisimum per hanc aquam designari. Ubi, etiam si concedatur, quod jam ante insinuat, dari parvulis in Baptismo gratiam certo respectu habitualem, non tamen esse eam præcisè justificam sequitur, de qua hic est sermo. Neque dum fons hic scaturire dicitur in vitam æternam, de ejus acquisitione per gratiam hanc meritoria debet intelligi necessariò, sed superest, ut Christus de termino, ad quem ducit hic fons, & quem homo regeneratus in viã adhuc constitutus pro ultimo fine atque scopo habet, cum omni conatu adpetens, locutus dicatur. Quid verò hæc iterum ad gratiam habitualem justificam? Pari ferè modo responderi etiam potest atque debet ad verba, quæ ex opere de peccatorum meritis & remissione Bellarminus adduxit, præterquam quod ex antecedentibus proximè verbis ipse Doctor sanctus aliud responsum præbet, in gratiam lectoris hic non prætermittendum. Ita autem ibi: *Christum imitantur sancti ejus ad sequendam iustitiam. Vnde Apostolus dixit, Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Sed præter hanc imitationem gratiæ ejus, illuminationem iustificationemque nostram intrinsecus etiam, operatur illo opere, de quo idem Prædicator ejus* *ibid. c. 3.* *dicit, neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Hæc enim gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori, per certè nondum valent imitari aliquem. Sicut ergo ille, in quo omnes vivificabuntur &c.* Vides lector optime, distinguere Patrem augustissimum satis apertè per retrocessionem inter gratiam justificationis, illuminationis, imitationis, per quam intellexit ipsam renovationem, & illam accedentem gratiam auxiliatricem, quam parvulis etiam baptizatis largiri Deum scribit, & per quam quibusvis jam justificatis, sufficienter illuminatis, & in renovationis via constitutis gratiæ singulariter accedentis auxilium præbet, ne & in munere Ecclesiastico, & in statu christianissimi virtutumque studio, quod ad ipsam Christi imitationem referri debet, frustra plantent, rigent, currant, pugnent, laborent, sed Scopum sibi præfixum finemque ultimum gratiæ incremento cœlitus accedente tandem impetrent & adsequantur. Ubi fateor, me non satis capere quod dum Bellarminus ex laudatis à se verbis Augustini patere putat, sermonem esse de gratia habituali, addit, *hujus solius capaces esse animos parvulorum*, quia, particula hæc exclusiva *solius* vix cum Augustini sententia videtur convenire. Quomodo enim accedet auxilium gratiæ, ubi non præcesserit gratia justificans, illuminans & ad Christi imitationem renovans? Ut enim hæc renovatio sua habeat incrementa, eaque quotidiana, opus semper est ulteriori gratia & cœlesti benedictione, sine qua justificati etiam, illuminati, renovati nihil perfectè boni possunt efficere. Et quamvis iidem parvuli, quod Bellarminus porrò ex eodem opere Augustini objicit, dicantur *per Baptisimum converti ad DEUM, qui ante eum erant à DEO aversi*, nondum sequitur tamen, fieri id per habitum infusum vel Conversione habituali, cum & actualis hic locum habeat conversio; actualis inquam, respectu præsertim convertentis DEI, homini convertendo eam largientis gratiam, non ut se propriis viribus convertat, sed viribus gratiose concessis & collatis patiat & sinat converti, neque liberi (potius, servi) ad malum arbitrii usu aut abusu gratiæ DEI sufficienter & efficaciter, non tamen irresistibiliter agentis & operantis obstitat & contranitur. Ut ut autem hoc & antecedens responsum non ad infantes parvulos, sed adultos pertinere videatur, ut potè inter quos respectu hujus non parvum videtur esse discrimen; constat tamen, unam eandemque esse DEI & parvulos infantes & adultos convertentis gratiam, etsi quoad modos & gradus diversam, quod discrimen observari itidem est necessum, ubi aliter de conversione non renatorum quam renatorum, aliter etiam derenatorum in fide stantium continuatà, quam lapsorum iteratà, quin & aliter, prout latiori significatu ipsam quoque Justificationem, quæ hic ante omnia attenditur, & quæ eam insequantur, comprehendit & includit, quam prout sensu strictiori eidem contradistinguitur, ac ordinis ratione eam antecedit, aliter itidem, ubi DEUS ordinario conversionis modo, quam ubi extraordinario pro summa suæ voluntatis libertate cum hominibus agit, quæ videlicet omnino ab unâ eademque gratia DEI ceu fonte perrenisfluo veniunt, quamvis in diversos derivatà & divisâ parvulos, ut non opus sit aliam infantibus, quam adultis in negotio & opere conversionis gratiam adscribere, quæ in se una est, non diversa, merum & solum convertentis favorem itque immeritum & indebitum favorem convertendis exhibens, cum illis gratiæ donis non unis, sed variis & multiplicibus, quæ post ipsam conversionem in homine converso & hæc DEI gratia non abutente, sed per debitum quoti-

diana

dianæ renovationis studium & sollicitum in stadio christianissimi progressum, ex eodem fonte gratiosissimo tanquã uberimo copia cornu largiter accedunt & ad crescunt. Atque sic etiam non erit difficile iis obviam ire, quæ Bellarminus ad *Augustini*, & quæ vulgò sub ejus nomine leguntur, testimonia contra habitum gratia convertentis & justificantis clara satis & aperta reposuit, invitã ut plurimum pennã, sibi met ipsi iterum non semel contradicens & scribens, in manifestum Evangelicæ veritatis patrocinium. Et quidem quod prius attinet ad locum ex *Hypognosticis* responsum, dum dicit, *Augustinum*, cui hoc opus, etsi non sine contradictione, adscribitur, loqui de gratia simul *creatã & increatã*, præterquam, quod gratia DEI hominem convertens & justificans, quæ hic in quæstionem venit, & quam præsens locus respicit, minus pertinentet & idoneè dicitur *creata*, ut potè quod Epitheton nullo planè sensu absque absurditatis evitacione potest obtinere; videri insuper, etiam possèt dubium, quomodo debeat illud intelligi, an videlicet *Augustinus* loquatur de gratia, quæ simul sit & *creata & increata*, quod novum & in Theologia est inauditum, vel loquatur simul & de gratia creatã & de gratia increata, nisi in subsequente statim uberiori explicatione Bellarminus posteriorem hunc sensum videretur præ priori eligere, intelligens Deum quasi gratiam increatam, qui per dona sua, quasi gratiam creatam fedeat in nobis, rectius DEUM nominaturus fontem omnis gratia & donorum, vel Patrem luminum, unde radii amoris actualiter ad nos veniunt, cordaque nostra illuminant, ita ut juxta Pauli & Johannis doctrinam verè Evangelicam DEUS in nobis habitare, & nos vicissim in DEO esse, in DEO vivere dicatur verè & orthodoxè, nullã tamen illatione vel consequentia ad ipsam Conversionis & Justificationis gratiam, quæ hic ipsius Controversia inter nos & Papæos statum ingreditur. Nam de cætero, quæ in posteriori Responso Bellarminus addit de *habitibus creatis & infusis*, per quos DEUS dicitur habitare in nobis, id est, jam regentis conversis & justificatis, gratia item DEI *cooperatrice, directrice & protectrice*, Evangelicis non contrariantur, ut ex antedictis constat, modò ne alio intelligantur sensu, quam scribantur. Quoad alteram ex *Augustino* objectionem contra gratiam Justificationis habitualem & infusam, ad quem modum in antecedente de infantibus non baptizatis quæstione Bellarminus jure voluit videri usus argumentis *Augustini* contra Pelagianos tum disputantis, quorum sententia tamen ab Evangelicorum distat quam plurimum; ita eodem jure possunt Evangelici ejusdem sancti Patris rationibus contra infusum gratia justificantis habitum militare, quas olim contra eosdem Pelagianos produxit in aciem, etsi Doctores Papæi, qui eandem cum Pelagianis defendunt, aliquã ratione videri velint ab iisdem dissentire, de quo uberius aliquid monendi dabitur occasio non semel in sequentibus. Quæ ad novam vel repetitam ex *Augustino* objectionem habet Bellarminus, quia ad eandem de statu parvulorum sine Baptismo decedentium pertinent Controversiam, de quã in antecedentibus est actum sufficienter, nullam desiderant uberius examen; hoc tantum notato in antecessum, debitam mereri censuram verba Bellarmini, quæ ex *Augustini* mente videri vult scripsisse sequentia: *Cum queritur, cur ex parvulis alios DEVS per Baptismum adducat ad regnum Cælorum, alios sine Baptismo mori & à regno excludi permittat? Respondere solemus, ut in illis Misericordiam, in illis Iustitiam suam demonstret*, utpote quæ Iustitiam DEI in verbo revelatam non parum lædere videntur, ut occasione inferius subministrandã docebitur uberius.

CAPUT SEXTUM & SEPTIMUM,

De

QVÆSTIONE,

*An Gratia gratum faciens distinguatur reipsã ab habitu
charitatis?*

EQuidem Bellarminus hic quoque, ut ante & posthac sæpius, ad imitationem Scholasticorum, & ut eò majori securitate ac sine omni periculo de quæstionibus Theologicis possit discurrere, hanc Controversiam ad fidem Catholicam pertinere nõ putat, adeoq; inter ipsos Doctores Romano-Catholicos salvã fide de eã disputari solere; quasi

Hhhh a

nimi

nimirum perinde esset, & in cuiusvis Scholastici Doctoris staret arbitrio, per quam gratiam peccator, reus aeternæ damnationis, coram DEO justificetur, & aeternam impetret beatitudinem. Hinc quatuor diversas recenset sententias, quibus nosse Gerhardus in discussione hujus Controversiæ ex Biele addit quintam, è quarum numero tertiam sibi probabiliorē (cur non probabilissimam?) visam & cum scripturis, Patribus & Synodo Tridentina magis congruentem elegit defendendam Bellarminus, quæ videlicet gratiam & charitatem necipare, neque formaliter, sed ratione tantum distinguit, docens, unum eundemque habitum, quâ parte respicit subjectum, atque hominem ipsum, in quo inest, exornat Deoque gratum reddi & amabilem, nominari gratiam; quâ autem parte respicit opus, & voluntatem efficit promptam ad DEUM super omnia diligendum, propriè dici charitatem. Nobis hic iterum ex instituto ad ea tantum erit respiciendum, quæ Augustini propius attingunt autoritatem, utpotè quâ Bellarminus hic etiam putat se esse superiorem. Igitur dum contra duas priores sententias, quæ distinctionem inter gratiam & charitatem ponunt vel realem vel formalem, agit, provocat ad sententiam Tridentinæ Synodi, quâ tantum unica formalis causa justificationis statuitur, consistens in fide, spe, & charitate. Ubi non prætermittendum, quod Bellarminus in *recognitione librorum* semetipsum correxerit, monens, magis propriè scribere se debuisse, causam justificationis formalem consistere in charitate, hæc addita ratione: *Quamvis fides & spes necessariò requirantur ad justificationem, id tamen, quod verissimè propriissimeque justificat, tanquam unicam causam formalem esse charitatem*, de quâ Concilium loquitur, Augustino subscribente, cum ait, *charitas inchoata est inchoata iustitia, & charitas perfecta est perfecta iustitia*. Post argumentum secundo provocans ad autoritatem Patrum, solius Augustini testimoniis utitur, quorum prius desumptum est ex eodem libro, unde in *recognitione* modo citatâ sententiam à se emendatam firmare conatus est, Doctore sancto scribente, *charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia*. Posterius autem legitur in commentario super Psalmos scripto, hisce verbis: *Iustitia virtus est magna animi, præcipueque laudabilis*. Et ibidem in verba Regii Pfaltis, feci iudicium & iustitiam: *iustitiæ nomine hoc loco non ipsa virtus, sed opus ejus significatum est*. *Quis enim fecit in homine iustitiam, nisi qui justificat impium, hoc est, per gratiam ex impio facit justum? Unde ait Apostolus, Justificati gratis per gratiam ipsius. Facit ergo iustitiam, id est, opus iustitiæ, qui habet in se iustitiam, id est, opus gratiæ*. Bellarminus quia vidit, hæc Augustini verba non probare id, cujus gratia adduxit ea, idè sequenti glossâ ad suas partes trahere laboravit, scribens: *Hoc loco S. Augustinus docet apertissime, iustitiam, quâ justificamur à DEO, esse virtutem divinitus infusam, per quam iusta operamur opera. Proinde non vult esse aliquem habitum in anime essentia, quia nihil operatur, sed habitum virtutis in potentia operatrice*. Præter hæc, ubi argumentum tertio militavit ex iis S. Scripturæ dictis, in quibus charitati ea omnia tribui dicit, quæ ab Autoribus sententiæ contrariæ tribuuntur gratiæ, & quidem non absolute solum, sed etiam, ut eam distingui docent à charitate; addit, alia esse multa, quæ tribui soleant gratiæ, & in scripturis tribuantur charitati, inter quæ sextum ordine & septimum Augustini munit testimoniis. Sextò inquit, *Gratia separat filios regni à filiis damnationis*; nullus enim cum gratia perit, nullus sine gratia salvatur. *At legimus, Coronam vitæ re-promissam esse diligentibus DEUM*. Et Sanctus Augustinus scribit, *Sola charitas dividit inter filios regni & filios aeternæ damnationis*. Septimò, gratia est donum DEI omnium maximum. Atqui Apostolus anteponebat charitatem omnibus aliis donis. Et ibid. S. Augustinus, *Nullum, inquit, est isto DEI dono excellentius. Dantur & alia per Spiritum S. munera, sed sine charitate nihil profunt*. Et iterum alibi, *Adde, scribit, charitatem, profunt omnia; detrahe charitatem, nihil profunt cetera. Quale bonum est charitas, fratres! Quid pretiosius, quid luminosius, quid firmitus, quid utilius, quid securius?* In solutione objectionum ad secundam hæc commendat Augustini: *Possè habere fidem & charitatem, est natura hominum; habere autem, est gratia fidelium*. Ad tertiam duplex aliud sinit, prius quidem, quando Pater augustus scribit, *homines iustos esse DEI filios, qui DEO similes sunt in dilectione & in sanctitate*. Posterius autem hisce verbis: *In quantum in te crescit charitas, efficit & revocat ad similitudinem*. Ad rationem quartam id testimonium aliquanto prolixius adfert, quod supra ex *recognitione* ejus fuit adscriptum, & in re ipsa nihil amplius infert, ut illud hic repeti opus non sit. Atque hæc hæctenus ex Bellarmino, post quem ex recentibus, imo

de Nat. &
Gr. c. ult.

cap. 42.

in Psal. 118
Con 20.

Jac. 1.

lib. 15. de
Trin. c. 15.

Ibid.

Serm. 50.
de Verb.
Dom.

de Predest.
Sanct. c. 5.

contra

Adim. c. 5.

in Psalm.
99. ad Ti-
tul.

imò recentissimis scriptoribus, huic contra realem gratiae & charitatis distinctionem sententiam, ad Augustini mentem, ut videri voluit, calculum adjecit nuper Franciscus Macedo, Professor Patavinus, sequentia in collationibus Scoto-Thomisticis proponens: *In Augustino versatus comperio, Scotum cum eo & sensu & verbis congruere. Docuit Augustinus multo ante Scoti sententiam, eandem prorsus esse gratiam, quae charitas. Plurima ubique occurrunt testimonia. Incipio ab eo, ad quod mihi videtur respexisse, imò & adduxisse Concilium Tridentinum. Habetur libro de gratia Christi, (primo, quod omisit Macedo) ubi Augustinus contra Pelagium & Caelestium commendat gratiam, qua justificamur, id est, quae charitas DEI diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Subjungit Collator de suo, En, gratia justificans per charitatem diffusam in cordibus, non per aliam formam gratiae infusam in animam, apud Augustinum, sicut apud Scotum. Alterum nobis exhibet liber de natura & gratia, quod, quia idem est cum eo, quod Bellarminus in recognitione laudavit, adscribere illud superfedeo. Addit autem de suo iterum Collator: Illustris sententia, quae continetur Scoti doctrina. Nominat Justitiam, quae voce justificans forma significatur, ac eandem esse cum charitate docet. Tertium habet liber de perfectione Justitiae contra Caelestium: Charitas, quae in tribus major est, non auferretur, sed augetur & impletur; in qua plenitudine charitatis &c. Et paucis interpositis, Tunc erit justus sine ullo omnino peccato, quia lex nulla erit in membris ejus repugnans legi menti ejus, sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diligit DEVM. Addit iterum Collator, vel hic potius Glossator, Nihil hic de gratia, vel in Patria & in media beatitudine; & ex laudato Augustini libro ulterius: Charitas per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium humanae voluntatis, cui plus dando, quam oportet, ignorant Justitiam DEI; quae tamen charitas tunc erit perfecta, cum omnis timor poenalis abscesserit. Nota, quae iterum Collatoris est glossa, Justitiam DEI, quod spectat ad gratiam, & ille refert ad charitatem; non alia enim Justitia, quae sit diversa, ulquam adparet. Quartum hujus doctrinae lumen est clarissimum, & invenitur in libro de gratia & libero arbitrio. Ita autem ibi: Istam charitatem, id est, divino amore ardentissimam voluntatem commendat Apostolus &c. locis compluribus, quae ibi prolixè recenserentur. Quintum praebet & quidem egregium Commentarius in Johannem, ubi Augustinus ita: Scriptura sacra indicant, quod Spiritus Sanctus est charitas, & ne putetis vilem esse charitatem. Et mox, Quid est charius ipsa charitate? Deinde adductis Apostoli locis, Quanta est charitas, quae si desit, frustra habentur caetera; si adsit, habentur omnia. Post, Charitatem cum habere coeperit homo, Spiritum Sanctum habebit; si non habuerit, sine Spiritu Sancto erit. Tandem, Quomodo corpus tuum, sine spiritu, quod est anima tua, si fuerit, mortuum est; sic anima tua sine Spiritu Sancto, id est, sine charitate, si fuerit, mortua deputabitur. Glossa Collatoris haec est, Hic res continetur. Comparat Augustinus charitatem animae, quae & ipsamet forma substantialis, quo nos exemplo cogere volebant Thomistae ad aliam formam gratiae admittendam praeter charitatem. Abstineant hoc exemplo, & ducto exinde argumento. Augustinus hanc ipsam animam (fortitan gratiae) formam supernaturalem dicit esse charitatem. Quod si negent, norint, se non tantum cum Scoto, sed etiam cum Augustino, quem omnes sentiendi ducem volunt habere, prorsus contendere. Sextum est tandem ex Commentario in Epistolam Johannis, super verba, Nolite diligere Mundum &c. Vis, inquit, habere dilectionem Patris, ut sis coheres Filii, noli diligere Mundum &c. Glossator interspergit sequentia, Hoc est proprium gratiae, constituere filium adoptivum, & heredem regni cum DEI Filio naturali; & hoc charitati genuinum est. Augustinus iterum ibi: Excludit malum Mundi amorem, ut implearis amore DEI. Addit Doctor Augustinus, Firmamentum salutis est, habere radicem charitatis. Collator porro apud more, ita sibi ipsi blanditur, ex hoc eodem loco sequentes decerpit flores, ubi Augustinus ita legitur auditores suos adlocutus: Quomodo radicamini, ut non eradicemini? Respondet, tenendo charitatem, sicut Apostolus dicit, in charitate radicati & fundati. Radix virtutum gratia dicitur, & hujusmodi radix est charitas. Talis est quisque, qualis est ejus dilectio. Terram diligis, terra es. DEVM diligis, quid dicam, DEVS eris? Non audeo dicere ex me. Scripturas audiamus, ego dixi, Dixi estis. Collator hanc iterum subjungit glossam, Non potest altius ascendere gratia*

Tom. II.
Collat. 7.
Differ. II.
Sect. V.
pag. 335.

cap. 30.

cap. 8.

cap. 10.

cap. 17.

Tract. 9.

in cap. II.
Tract. II.

in adversariorum sententia, eò item adscendit charitas in Augustini doctrina Addit, talibus testimoniis opera Augustini abundare. Interposita postmodum Bernhaldi sententia quãdam, ex eodem Augustini in Johannem Commentario quasi pro coronide sequens adponit testimonium, ubi Pater sanctus ad Apostoli verba, ipse prior nos dilexit &c. ita scripsit & dixit? Unde diligeremus, nisi prior ille dilexisset nos? Diligendo amici sumus facti, sed inimicos ille dilexit, ut efficeremur amici. Prior dilexit nos, & donavit nobis, ut diligeremus eum. Nondum diligebamus eum, diligendo pulchri efficitur. Quid facit homo deformis & distorta facie, si amet pulchram? Aut quod facit femina deformis & nigra, si amet pulchrum? Numquid amando poterit esse pulchra? Et numquid ille amando poterit esse formosus? Et mox, Quid faciet, ut pulcher sit? Expectat, ut veniat pulchritudo. Tum, Anima nostra sœda est per iniquitatem, amando DEVM efficitur pulchra. Qualis amor est, qui amantem reddit pulchram? Amavit nos prior, qui semper est pulcher. Quales amavit, nisi sœdos & deformes, non idè, ut sœdos dimitteret, sed ut mutaret, & ex deformibus faceret pulchros. Quomodo erimus pulchri? amando eum, qui semper est pulcher. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia charitas ipsa est anima pulchritudo. Collator hanc addit Epicurifin, Cujusmodi est gratia in sententia opposita, ejusmodi est charitas in Augustini sententia. Hæc autem gratiosa est, imò & gratia & pulchritudo. Ita sentit Scotus, igitur ejus sententia est ipsius Augustini doctrina. Judicium, quod ex more ad questionis propositæ discussionem subjungit, inter alia de Thomæ & Scoti differentiis hoc observat, illum solere divisiones amare, hunc è contrario uniones diligere. Ita Thomam velle, gratiam justificantem esse realiter ab habitu charitatis distinctam negante Scoto, qui probavit unionem, non divisionem. Præstat autem, inquit Collator, unionis Authorem esse, cum Christus author divisionis esse voluerit, dicens, quis me constituit divisorem inter vos? En adplicationem perbellam & lepidissimam. Rectè igitur Scotus divisor gratiæ & charitatis esse noluit, ex utriusque unam fecit, idque cum Augustino, cui semper adherere studet. Hæc ille pro Scoto & Bellarmino, iisque omnibus, qui gratiam justificantem idem esse statuunt cum virtute charitatis; quibus ante-quàm ex analogia fidei Evangelicæ & ad Augustini mentem, qui totus hic quoque noster est, faciam satis, præmitto, quid aliis in Ecclesia Romanensi Doctoribus non solum de ipsamet hæc questione, sed etiam de sententia & autoritate Augustini circa eam fuerit visum, ut Concordia discors Fratrum Cadmaëorum in hoc quoque puncto fiat manifesta. Et quidem ex numero eorum, qui eodem ferè cum Bellarmino tempore vixerunt & scripserunt, est Gregorius de Valentia, non raro de Fallentia, ejusdem cum Bellarmino ordinis & Societatis, qui secundo in Thomæ Aquinatis summam Tomo in recensione triplicis Theologorum sententiæ, ad primam, quæ non realem, sed rationalem seu formalem differentiam inter gratiam & charitatem statuit, eam satis esse probabilem, maximè propter duo quædam Augustini testimonia notat, quibus videatur id posse confirmari, utroque ex opere superius etiam citato de Natura & Gratia desumpto. Prius hæc exhibet verba: Si in Abel justo charitas DEI, quæ unâ verè justus est, quicumque justus est, adhuc erat, ex quo posset vel deberet augeri, quidquid minus erat, ex vitio erat &c. Alterum est idem, quo Bellarminus supra in recognitione ad suæ opinionis confirmationem usus, vel potius pro more abusivus est, hic non fastidiosè repetendum. Secundam post sententiam, quæ gratiam & charitatem solis vocabulis censet distingui, vocat improbabilem; uti est contrariò tertiam, quæ cum Thomæ & sequacibus realem docet differentiam, esse putat quæ primâ probabilior, non autem omninò probabilissimam. Nam, inquit, etsi prorsus certò confirmari non possit, melioribus tamen nititur fundamentis, quàm prima. Dico, subjungit, prorsus certò confirmari non posse. Nam quæ in scripturis, Conciliis & à Patribus dicuntur de gratia & charitate, non sunt tam varia, ut repugnet, eidem Qualitati convenire posse, ut, quod per gratiam efficitur participes divine Naturæ, quod pignus sit hereditatis æternæ, quod per illam jus ad beatitudinem habeamus; de charitate autem, quod eâ diligimus DEVM, quod est forma virtutum, & sine quâ cetera omnia sunt nihil &c. hæc enim omnia possunt respicere convenire uni & eidem qualitati diversimodè considerate. Nihilominus tamen probabilior est illa tertia sententia, quæ gratiam & charitatem ipsa distinguit, & melioribus nititur fundamentis. Et postquam è Scripturâ S. & Conciliis, nominatim Tridentino, ejus probabilitatem demonstravit, ad Augustini quoque progressus autoritatem, probari scripsit eam exindè, quod non obscure indicet,

Gratiam

Tract. 9.

NB.

Disp. 8. qu.
II. Punct. 2.
p. 1120. f.

cap. 38.

Gratiam, seu Iustitiam, quâ justificamur, esse aliquid prius, quàm charitatem, & ab eâ distinctam.

Primum, quo hoc docere laborat *Valentia*, est idem, quo antea *Macedo*, itidem primo statim loco, ex libro de *Gratia Christi*, ad opinionis contrariæ confirmationem est usus, cui planè diversam à Macedonianâ glossam adnectit, verbis sequentibus: *Augustinus hic à Gratia, seu per Gratiam, quâ justificamur, significat diffundi & oriri Charitatem, ac proinde eam Gratiam non esse Charitatem ipsam. Si enim ibi Gratiam, qua justificari nos dicit, intelligeret esse Charitatem, non utique diceret, ea Gratia diffundi Charitatem; non enim rectè dixeris, charitate ipsam diffundi Charitatem.* Alterum desumit ex libro de Spiritu & literâ, ubi scribit *Augustinus*, *Charitas Dei dicta est* cap. 32. *diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos, sicut Iustitia Dei, qua iustis eius munere efficitur, & Domini salus, qua nos facit salvos, & Fides Iesu Christi, qua nos facit fideles.* Addit *Valentia*, ubi *Augustinus de Iustitia qua sumus iusti, loquitur tanquam de re distincta à charitate.* Pergit, Neque obstat, quod ibidem videtur *Augustinus charitatem adpellare Dei Iustitiam; nam suo modo etiam ipsa est Iustitia, quatenus est principium operandi Iustitiam in lege prescriptam. Non tamen est illa proprie Iustitia, qua formaliter & proprie iusti & recti & Deo grati reddimur, tanquam per essentiam quandam supernaturalem, quæ nos Divina Natura consortes facit & participes.* Atque in eo sensu dicit *Augustinus in loco pro opinione primâ citato*, Charitatem inchoatam esse inchoatam Iustitiam, & Charitatem magnam esse Iustitiam magnam, &c. scilicet, ut est suo modo principium operandi iusta &c. Cum autem in altero loco supra etiam pro opinione prima citato dicit *Augustinus*, Charitate unâ esse iustum verè, quicumque iustus est; non excludit Gratiam cum charitate connexam, sed alia, quæ possunt esse sine Charitate, quantumcumque bona & recta adpareant, ut Fidem, Iustitiam moralem operum &c. Ita pro sententia Thomæ contra negatum Gratiae & Charitatis discrimen *Valentia*, post quem & alios plures hujus Controversiæ Tractatores *Petrus à S. Iosepho*, Doctor Parisinus, in Tractatu de *Gratia Divina*, ab eisdem Thomæ partibus stans, alia ratione ad *Augustini* testimonia, duo præsertim priora, quæ *Bellarminus* ex libro de *Naturâ & Gratia* adduxit, responderi debere consultum putavit. Duobus modis, scribit, explicari possunt illas *Augustini* testimonia, itemque alia, quæ tum ex ipso, tum ex aliis Patribus solent proferrî, uno de Charitate actuali, altero de habituali. Si priori modo intelligantur, dicendum est Charitatem esse perfectissimam Iustitiam actualem, tum quia inter actus Iustitiæ & Virtutum insularum, ii, qui eliciuntur à charitate, primatum tenent; tum quia nulla est perfectior ad Gratiam dispositio, quàm supernaturalis Dei dilectio. Si verò intelligantur de habituali, dicendum est, ea, quæ de Gratia conferuntur, attribui Charitati, non præcisè propter ipsam, sed propter connexionem, quam habet cum Gratia inseparabilem, ex lege saltem ordinaria. Indè fit enim, ut multa dicantur de Charitate, quæ si Gratiae consortio esset destituta, & ab eâ non formaretur, ipsi non competere.

Disput. 8.
sect. 3. n. 30.
p. 436.

Tom. II.
tract. 8.
Disp. 2.
artic. 6.
p. 108.

Hæc etiam ille, cui accedit ex novissimis *Ioh. Baptistæ Gonet*, ordinis Prædicatorum, qui in *Clypeo Theologiae Thomisticae* contra novos ejus impugnatores, utur expressam *Augustini* & specificam mentionem circa hujus quæstionis discussionem non facit, ad argumenta tamen è scriptura & Patribus pro identitate Gratiae & Charitatis in genere triplex suppeditat responsum, quod hic omninò prætermittendum non videtur, quia simul etiam ad ea, quæ ex *Augustino* hanc in rem observavimus proferri, sufficiens esse potest. Respondeo, inquit, primò, eisdem effectus Gratiae & Charitati tribui, non quod sint unus & idem habitus, sed quia sunt inseparabiliter inter se connexæ &c. Secundo, quod licet multi effectus Gratiae etiam Charitati tribuantur, propter connexionem & mutuam utriusque concomitantiam, aliter tamen Gratiae, aliter Charitati tribuantur; Gratiae scilicet, ut primæ radici, Charitati verò, ut illius fructui. Præterquam, quod aliqua est Gratiae excellentia, quæ non tribuitur Charitati, scilicet dare primum esse supernaturale, atque adeò esse naturam ordinis supernaturalis, & originem ac primam radicem omnium motuum supernaturalium. Tertio, quod quando in scripturâ effectus Gratiae tribuntur Charitati, non accipitur Charitas, ut solum est habitus, quo Deum diligimus, sed etiam prout est vinculum amicitiae inter nos & Deum, quo & ipsum diligimus, & vicissim ab eo diligimur.

Hhhh 4

Quæ

Quo sensu charitas continet sub se habitum gratiæ, quæ est effectus dilectionis, quæ Deum nos diligit, eodemque modo charitatem usurpant S. Patres, cum eam à gratia habituali non distinguunt. Possent equidem plures alii nunc produci, qui reale discrimen inter gratiam & charitatem agnoscerent, ii præsertim, ad quorum auctoritatem laudati iam scriptores contra Scotistarum unionem pro Thomæ sententia, quæ cæteris Evangelicæ veritatis confessionibus & testimoniis omnino meretur addi, non parce nec sine numero provocant, nisi hoc etiam exemplo sufficienter pateret, quomodo ejus Ecclesiæ Doctores, qui tantas laudes unitati, non solum inter caput & membra, sed etiam inter ipsamet membra, & præcipua quidem, quorum muneris esset, eam, utpote notam Ecclesiæ veræ per quam à quavis falsâ possit discerni & cognosci, omni studio conservare & tueri, tanquam vinculo cuidam divinitus commendato adscribunt, mutuis sese conficiant vulneribus, & quod probè notandum, non circa rem aliquam, de quâ, uti videtur iis, sed perperam, probabiliter possit in utramque partem salvo Fidei fundamento disputari, quorsum hodierni probabilistæ non sine maximo orthodoxæ veritatis præjudicio plerasque quæstiones controversas solent trahere, paucis admodum, imò nullis ferè exceptis, de quibus aliquid certi & constanter ab omnibus doceatur; sed circa tale dogma, quod ipsum justificationis gratiæ fundamentum tangit, quod nisi certum sit & indubium, ipsa etiam justificatio erit in dubio, & nemo sibi quidquam certi de eâ poterit promittere; quod quantâ cum Christianismi lubricitate & damno inde orituro fiat, posthac bono cum Deo sufficienter ex Augustino ad oculum demonstrabitur. Nunc id porro prætermitti non debet, quod hoc improbabilitatis theologicæ studium ex hoc etiam capite videri possit intolerabile, dum, qui pro identitate justificantis gratiæ & charitatis militant, iisdem ferè armis partim è scriptura, partim ex Augustino scripturam explicante depromtis utuntur, vel potius abutuntur nefariè, quæ rectius longè adhibentur ab iis, quibus differentia realis inter utramque placet, uti jam porro fiet manifestum. Videlicet, quod in genere contra *Macedoniam* pro Scoti opinione observationem hic in antecessum moneo, dum hi homines nimio unionis amore divisiones vitant, in detestandas atque intolerandas incidunt confusiones, præter mentem scripturæ, contra sententiam Augustini ea inter se miscentes, quæ de jure meritissimoque & quidem accuratissimo, prævia ipsamet scriptura, duceque & antecessore Augustino, debent discerni. Confunditur nimirum ratione subjecti partim gratia justificationis cum gratia sanctificationis, partim charitas Dei activa, quæ nos ante secula, adeoque prior dilexit, cum charitate ejusdem, ut ita dicam passiva, quæ ipse posterior à nobis diligitur; ratione prædicati autem, dum effectus quidam adscribuntur charitati, quæ Fidem agnoscunt Matrem, non quatenus in negotio justificationis consideratur, sed quatenus post gratiam justificationis vivam se & veram ostendit atque operatur, & hinc etiam quasi ex fructibus agnosci potest, quo sensu & respectu ipsemet Christus promisit & prædixit, se in die judicii, quod superest, extremi coram omni carne commendatarum opera charitatis fidelium, non per vel propter quæ sint justificati, sed tanquam fructus Fidei salvificæ. Has non legitimæ divisionis, sed Scotisticæ confusionis tenebras, si luce distinctionis debitæ & discriminis, ab ipsamet scripturâ, & ad ejus præscriptum ab Augustino observati, & non semel inculcati discussimus, non erit difficile ad ea respondere, quæ in gratiam unionis post Bellatinum & & alios *Macedo*, ingenii acie, quam aliàs subtilem & accuratam ostendere laboravit, nimium obtusâ, in tenebris nimirum Scotisticis ambulans, & à luce veritatis procul remotus, ex Augustino non diligenter, uti par erat, lecto, & hinc, quod sequitur, non satis intellecto, non decenter explicato, impertinenter applicato congestis & lectoribus cum injuria & præjudicio veritatis, inter Thomam & Scotum mediator & sequester non raro partialis & personam ex ordinis instituto & lege respiciens obrufit ac superciliosè inculcavit, ut statim examen breve citatorum ex Augustino locorum docebit. Nam, uti ab iis fiat initium, quæ ex opere de *Natura & Gratia* producuntur, quàm inconsequens est illa consequentia, *Perfecta charitas*, quæ homo Deum se ab æterno diligentem amore Reciproco ex debito gratitudinis pro tot insignibus beneficiis amplecti tenetur, *est perfecta justitia*, id est, justitiæ in lege divina hominibus præscriptæ impletio, hic enim verborum sensus è toto contextu Augustini patet; ergò charitas & justitia sunt idem, ergò potest homo in hoc imperfectio- nis statu perfectè Deum diligere, atque sic perfectè justitiæ legali & ex alle satis quod

quod tenor Legis requirit, facere, & quod ulterius inde deduci est necessum, ergo charitas ingreditur actum Justificationis, imò cum ipsa justificante gratia est idem. Hæc omnia certè ex laudatis Augustini verbis sequi oportet, si Scoti opinio vera sit, de quibus tamen singulis nihil Augustino hoc in loco, imò nec alibi in omnibus scriptis, venit in mentem; ut si redivivus Ecclesiæ susteretur, haberet non solum, quod miraretur, sed insuper etiam, de quo quereretur, ob verba non obscura, sed perspicua satis, in gratiam Scoti tenebrarum Doctoris, ad defensionem sententiæ nullò planè modo probabilis, sed omninò improbabilis, imò erroris detestandi & in Ecclesia intolerabilis, nequiter detorta & præter omne fas contra mentem depravata. Idem quoque dici non solum potest, sed etiam debet de verbis, quæ ex eodem opere laudantur, ubi *charitas* dicitur *verissima, plenissima, perfectissima, æque justitia*, utpotè quæ eundem, quem indicavi, sensum non admittunt modò, sed omninò & necessariò requirunt. Quæ ex Commentario in Psalmos adducuntur, ex analogia doctrinæ & Fidei Evangelicæ ita se habent ritè, ut mirum sit & videatur, potuisse hominibus aliquo, etiam naturali saltem, iudicio præditis, quales præ aliis subtilitatum Scholasticarum tractatores volunt esse & videri, aliud quid incidere, quam intentio & scopus patitur Authoris. Ultima certè verba contrariam planè sententiam, id est, discrimen inter gratiam & charitatem confirmant, dum expressè distinguit Augustinus *inter opus gratiæ & opus justitiæ*, hoc ab illo, uti causa effectum pendere ostendens. Nec quidquam identitati utriusque prodest glossa Bellarmini, multò magis autem indicato inter causam & effectum discrimini, Evangelicis ultrò fatentibus, gratiam justificatricem simul secum in societate quasi habere gratiam sanctificantem & renovatricem, quæ hominem jam justificatum, Spiritu Sancto, gratiarum datore & conservatore, per inhabitationem gratiosam non otioso, sed quam maximè negotioso, urget sicuti ad cetera quævis, ita & imprimis quidem ad opera charitatis erga Deum & proximum, quæ si diligenter & studiosè, prout justum est & æquum, exercentur, quia tandè eant inhabitum, ad Philosophorum mentem sobriam Evangelicos non ire inficias, ex antecedenti proximè controversia satis liquet. Testimonium ex opere de *Trinitate*, non contra nos, sed pro nobis est, qui ipsamet lubentia lubentius ultrò largimur & concedimus, charitatem non in ore, sed operibus à Deo mandatis & ex corde sincero factis consistentem esse externam fidelium notam ab infidelibus distinctivam, ab ipsomet Christo, ut paulò ante dictum est, commendatam. Non verò sequitur, ob id charitatem esse idem cum gratia justificante, nisi effectum cum causâ velimus confundere; est enim ferè idem, ac si dicam, hic Aulæ minister differt ab alio propter diversitatem vestis, ergo hæc causa est, ob & per quam ad Aulæ ministerium est adsumtus, cum tamen adsumtio præcedat, vestitus demum diversus sequatur, per quem ab aliis discernitur, & officii ac muneris debiti, quoties illum intuetur, memorem se præstat ex obligatione. Quod elogium charitatis attinet, quo post Apostolum noster etiam *Augustinus* eam omnibus Dei donis & virtutibus Theologicis anteponebat, quo sensu illud & Apostolus & Augustinus voluerit intellectum, ante omnia debet observari. Et quidem *Apologia Confessionis Augustinæ* de loco Pauli, qui hoc in-

in Form.
Concord.
P. 101.

p. 514. b.

signe charitatis Elogium continet, notavit in genere, *Apostolum ibi non tradere modum justificationis, sed vis scribere, qui cum fuissent justificati, erant cohortandi, ut bonos ferrent fructus, ne amitterent Spiritum Sanctum*. Hæc non sine causâ moneri, ex integro constare potest textu capitis, quod nullam omninò justificationis coram Deo facit mentionem, de quâ in antecedentibus ex professo egerat Apostolus, nullâ ibidem charitatis mentionem factâ, quod non parvum rei, de quâ disceptatur, adfert momentum. Neque prætermitti debet triplex responsum, quo Megalander *Lutherus* legitur usus in Disputatione quâdam, quæ cum aliis pluribus circa finem primi *Ienensium* Tomi ex-

nis, quo respectu homo justificatus beneficiorum à DEO acceptorum & porrò accipiendorum memor non modò DEUM ex toto corde pro viribus diligit, omniaque opera ad Nominis Divini honorem & gloriam dirigit, sed propter Deum proximo etiam quævis opera charitatis præstat, qui proximus à fide ejus solà abstractivè & sine fructibus amoris consideratà nullum omninò perciperet fructum, atque sic esset perinde, vel cum Christiano, vel cum ethnico conversari.

Quia verò *Lutherus* non absolutè dicit, Apostolum Fidei justificæ charitatem præferre, sed disputans ad hominem, ostensurus, hac etiam ratione Antagonistas non obtinere, quod velint; inde primum ejus responsum meritò attenditur, quod adversariis opposuit aliquantò directius, & ad mentem Apostoli accommodatius, videlicet, Apostolum Fidei vocabulo hic uti pro Dono Spiritus Sancti, nimirum pro Fide miraculorum, de quâ sub initium capitis egit expressissimè, idque eò magis, quia idem placuit *Augustino*, & eo quidem in loco, quem *Bellarminus* ex merâ incogitantia pro se verum si accuratè inspiciatur, contra se & opinionem *Scoti* produxit quod ostendendum. Nam postquam Apostoli verba ex initio tertii & decimi capitis Epistolæ prioris ad Corinthios, de linguis hominum & Angelorum, de Sacramentis vel Mysteriis Fidei, Dono Prophetiæ & fide Miraculorum laudavit, ita porrò scripsit notanter: *Ita quidem magna sunt, sed si ego hæc sine charitate habeam, inquit, non illa (NB) sed ego nihil sum.* Et ubi addidit sequentia Pauli verba de omnium bonorum distributione inter pauperes, & traditione corporis ad combustionem, hanc iterum subjunxit observationem: *Ecce, venit ad passionem, ecce, venit ad sanguinis effusionem, venit ad corporum incensionem; & tamen nihil prodest, quia charitas deest.* Post ea, quæ *Bellarmino* visa sunt idonea ad scopum, quem nullo tamen apice attigerunt, pergit *Augustinus*, scribens: *Multa sunt Dei dona, quæ tamen habent & mali, qui dicturi sunt, Domine, in nomine Tuo prophetavimus, &c. Nec respondebit illi, non fecistis; non enim in conspectu tanti judicis audebunt mentiri, aut jactare, quæ non fecerunt, sed quia charitatem non habuerunt, respondebit omnibus illis, Non novi vos.* Teneat nunc perspecto ex his sufficiens *Augustini* scopo aliquis *Bellarmini* hyperaspistes, ac probet, Doctorem sanctum hoc testimonio ex sententia Pauli charitatem pro eodem cum gratia habuisse & agnovisse; ut adeò, quid *Bellarminus* habuerit in animo ad hanc *Augustini* auctoritatem provocans, divinare videatur difficillimum, quamvis hoc esse debeat indubium, ipsa Patris augustissimi verba in loco, undè sunt mutuata, non fuisse ab eo inspecta, non ritè ponderata, atque sic impertinenter omninò & contra institutum adducta, quia malitiam impingere non audeo, in eo præsertim argumento, in quo tanquam ad Fidem non pertinente securius se verari posse putavit.

In testimonio, quod ex libro *de Prædestinatione sanctorum* citat *Bellarminus*, manifesta comittitur fallacia compositionis & divisionis, dum *Augustini* verba adducit quasi in sensu composito intelligenda, quæ scripta leguntur expressè in sensu diviso, ita nimirum: *Possè habere Fidem, sicut possè habere charitatem, est natura hominum; habere autem Fidem, quemadmodum habere charitatem, est gratia fidelium.* Nunc conferantur verba, prout ea laudavit noster *Bellarminus*, & videatur, annon grandis injuria *Augustino* sit illata, & mens ejus in alium planè detorta sensum? Eadem sententiæ quoad verba mutatio occurrit in loco, quem ex libro contra *Adimantum Manichei Discipulum* citat *Bellarminus*, utpotè qui aliter planè apud ipsum legitur *Augustinum*, sic videlicet: *Filii Dei sunt homines renovati ad ejus imaginem, & ei similes facti usque ad dilectionem inimici, sicut dicit Dominus, diligere nos debere inimicos nostros, ut similes simus Patri nostro, qui est in Cælis; quod in potestate nostrâ ab ipso Deo positum esse docet scriptura, cum dicit, dedit eis potestatem Dei filios fieri.* Vide iterum, Lector optime an in his *Augustini* verbis quidquam sit, quod *Bellarmini* inservire possit hypothesi, & judica. Atque idem sensus est verborum ex Commentario in Psalmos desumptorum, quæ pleniori textu apud ipsummet augustissimum Doctorem ita habent: *In quantum in te Charitas crescit, efficiens te & revocans ad similitudinem DEI, pertendit usque ad inimicos, ut sis ei similis, qui facit*

facit solem suum oriri non super bonos tantum, sed super bonos & malos. *Quantum accedis ad similitudinem, tantum proficis in charitate.* In his Augustini verbis iterum nihil omnino est, quod scopum attingit à Bellarmino præfixum, causam que feriat ullâ ratione, quam is suscepit in se ex Augustino oppugnandam. Et si jam à methodo ex Augustino disputandi Bellarminiana progrediamur ad *Macedonianam*, non feliciorum obfervabimus progressum, si non in aliquibus adhuc longè intricatiorem & multò magis confusorem. Primum quidem ex Augustino testimonium favere videtur eidem aliqua ex parte, sed videtur tantum, ut patebit statim. Nimirum commendat Pater sanctus in opere de *Gratia Christi*, Gratiam Dei, qua justificamur, id est, *qua Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Neque negari potest, quod ex proximè adducendis patebit, Augustinum hunc Pauli locum ex quinto capite ad Romanos de Charitate, quâ nos Deum diligimus intellexisse. Sed videamus, quid de hac sententia alii statuunt partis Romanæ Doctores & Interpretes scripturæ, ne quid præter debitum de eâ scripsisse videar. Et *Sixtus* quidem *Senensis* ita scribit ad hunc locum: *Omnes Theologi Scholares unanimes fere consensu docent, Spiritum Sanctum illabi quidem animis nostris secundum substantiam Deitatis suæ vel hypostasi per se sua, at tamen longo intervallo discerni à Charitatis dono, quo in amorem Dei & proximi accendimur.* Nota lector intervallum hoc, & cum Sixto distingue. *Cornelius* autem à *Lapide* post recentiam *Chrysostrami, Theophylacti, Ambrosii* ex veteribus, ex recentioribus autem *Cajetani & Toleti* Explicationem de Charitate Dei, quâ nos ipse diligit, & oppositam ei, uti videtur, contrariam *Augustini, Bernhadi, Anselmi,* & Doctorum passim Scholasticorum (ad quorum tamen auctoritatem *Sixtus* quoque *Senensis* pro contraria provocat sententia) de charitate, uti vocat, creatâ, quâ nos Deum diligimus; statuit, plenissimum Apostolici hujus dicti esse sensum, si charitatem Dei utramque accipiamus, scilicet creatam & incretam, & de utraque locum hunc explicare è Patribus *Origenem, Theodoretum, Oecumenium,* & ex Scholasticis illorum Patrem vel Avum *Thomam.* Insuper notat *Cornelius* ibi errorem *Lombardi* docentis, Charitatem, quæ in nobis est, non esse creatam, & observat, *Magistro* occasionem erroris fuisse *Augustinum*, qui ex sententia Platonicorum docuerit, *Charitatem nostram esse Deum.* Quamvis verò hæc Examini prolixo subjicere nunc non vacat, exinde tamen constat satis, *Lapidensem* ad sententiam Augustini circa hujus dicti explicationem obligare neminem, imò non tantum commendare sententiam aliorum contrariam, sed etiam ostendere modum, quomodo utraque possit combinari, quasi inter se non oppositæ, nimirum directe. Neque omnino displicet tentata Reconciliationis methodus, utpotè per quam Augustini sententia liquidum potest reduci, modò sibi met ipsi non opponatur, sed dextrè juxta alibi ab ipso scripta ad propriam mentem, uti par atque justum est, exponatur. Ut enim citatum Pauli locum de charitate qua nos Deum diligimus, interpretetur, non id tamen facit cum oppositione charitatis, quâ Deus nos prior dilexit, verum nominat effectum, ut nos per regressum, argumentationis genere non novo nec inusitato, deducat ad causam & ipsum Amoris fontem primamque originem, undè omnes Gratia & favoris rivuli manant & ad nos derivantur. Præsupponit igitur charitatem, quâ Deus ab æterno nos dilexit, propter quem Amorem & Filius in tempore datus est, & Spiritus Sanctus cum ditissimo copiarum cornu in corda fidelium mittitur; qui præter aliarum virtutum, amoris præsertim Deo & proximo debiti ignem accendit in nobis, auget atque conservat, gratiamque largitur & præstat, ut Deum & proximum, etsi non perfecte & ex asse, tamen sincere, & quantum hujus viæ & vitæ status permittit, diligamus, inque cæteris operibus bonis ad publicum Fidei salvificæ & acceptæ à Deo Gratia justificantis testimonium ex debito secundum legis præscriptæ normam & tenorem exerceamus, imagini divinæ, ad quam primò creati, & postmodum Christi merito renovati sumus, nos conformantes pro viribus, donec ad statum amoris æterni perveniamus. Atque sic verba Pauli & Augustini intellecta & explicata non obsunt sententiæ de disparatione justificantis Gratia & Charitatis, sed potius eam egregiè illustrant atque confirmant.

Ad secundum ex Augustino testimonium, quod Bellarminus ex libro de *Natura & Gratia* in primâ collocavit acie, jam sufficienter est responsum, undè patet, vanam esse *Macedonis*, hic certè non victoris, glossam, quâ per vocabulum Justitiæ, Gratiam intelligi putavit justificantem, quod falsum esse, *Gregorius* etiam de *Valentia*, alias non semel fallens & fallus, agnovit, ut vidimus. Tertium ex libro de *Perfectione* lu-

Bibl. S.
lib. VI.
Annot. 235

ne *Justitiæ*, uti ipsemet Collator & Glossator exerte testatur, de statu Patriæ & Beatitudinis æternæ agit, atque hinc non constat, cur ad Gratiam justificantem referatur, quæ inter hujus vitæ beneficia refertur, & cum beneficio Gratia salvificantis confundi non debet, quamvis utraque eundem summi boni fontem eandemque habeat & agnoscat originem; ubi insuper notandum contra ejusdem *Macedonis* glossam, etsi Augustinus ibi inter alia mentionem facit *Justitiæ Dei*, & certum sit, eum nihil aliud intelligere, quàm Gratiam Dei justificantem, non tamen pro uno eodemque habere cum charitate, utpote quam satis notanter, tanquam à causa effectum distinguit, ut verba rectè inspecta docent & evincunt. *Quartum* ex opere de *Gratia & libero arbitrio* non nisi Elogia Charitatis è sacris collecta scripturis continet, undè ad identitatem cum Gratia justificante argumentari, est à baculo ad angulum concludere. In *quinto* putavit quidem *Macedo*, se aliquid invenisse, in quo possit lætari; sed inane est gaudium illud, & omni caret ratione. Notandum verò in primis est, *Macedonem* à Bellarmino artem verba corrumperendi & detruccandi didicisse, quæ apud Augustinum laudato in Johannem Commentario integra sequenti tenore extant: *Quis nominat Patrem & Filium, & non ibi intelligat charitatem Patris & Filii, quam cum habere cœperit, Spiritum Sanctum habebit, quam si non habuerit, sine Spiritu Sancto erit?* Et in paulò antecedentibus ad mentem apertius exprimendam hæc habet Pater sanctus: *Quis quis nominat Patrem & Filium, oportet ibi intelligi tanquam charitatem invicem* (Notabene, lector invicem) *Patris & Filii, quod est Spiritus Sanctus.* Manifestè nimirum indicavit Doctor augustus, quam hic intelligat charitatem; nullam præterea, quod iterum venit observandum, faciens Gratia justificantis mentionem; ut taceam, cum pro unâ eademque habere utramque, quas, uti ex hæcenus dictis constat, semper accuratissimè inter se distinxit, non unionem, quod *Macedoni* visum, sed confusionem vitans. Atque sic etiam debet intelligi comparatio inter animam, quæ corpus informat, & Spiritum Sanctum, qui charitas Patris & Filii vocatur, inque cordibus nostris diffunditur, per gratiam singularem in nobis habitat, mentem nostram informat, & varia per nos operatur bona, ut exindè Dei filii coram hominibus agnoscamur. Posito autem, de charitate, quâ nos Deum & proximum diligimus, agere Augustinum, uti his ipsissimè verbis aliqua hinc indè interspergit, quæ non nisi de hoc amore possunt intelligi, nondum obtineret tamen *Macedo*, quod intendit. Quemadmodum enim animæ præsentia in corpore vivo cognoscitur ex actionibus, & tamen ipsa actiones, quæ vocantur animales, non sunt idem cum anima; ita Spiritus Sancti, qui Patris & Filii charitas vocatur, præsentia inhabitatrix in homine fidei agnoscitur ex operibus charitatis tanquam fructibus veræ Fidei, & tamen opera hæc non dicuntur ipsa charitas propriè & accuratè loquendo, multò minus hæc charitas, cujus opera incurunt in oculos & aures, dicitur ipsa charitas hoc sensu, quo Spiritus Sanctus vocatur charitas Patris & Filii, utpote quæ denominatio planè diversa est ab illâ, etsi una ab alterâ dependeat, & sibimet invicem sint subordinatæ. Paucis, ut in terminis Augustinianæ comparationis maneamus, si nimirum licet ad imitationem ejus parvis magna componere, quod in corpore hominis vivi est anima rationalis, id in homine per gratiam Dei regenito est Spiritus Sanctus, charitas nimirum Patris & Filii essentialis, eaque activa & charitatem in nobis operans, per quam Spiritus Sancti Gratiam in nobis habitare testamur. Indè autem nullo planè modo sequitur, charitatem, & cujus opera ostendimus, non ostentamus, esse formam, uti loquitur *Macedo*, Gratia justificantis supernaturalem, sicut animam vocat formam corporis substantialem; multò autem minus, hanc charitatem esse ipsammet Gratiam, quod tamen juxta præscriptum lemma *Macedoni* erat demonstrandum. Tandem quod *sextum* & ultimum attinet Augustini testimonium, quod *Macedo* omnium prolixissimè exscripsit, desumtum è Commentario in Epistolam Johannis, scribit ibidem Doctor sanctus inter alia, *firmamentum salutis esse, habere radicem charitatis.* Sed quidindè? Non scripsit Pater augustus, radicem habere charitatem, sed charitatis, ut eomet ipso radicem à charitate, tanquam à subjecto in quo, vel alio respectu, tanquam ab effectu distingueret, confusionum non distinctionum necessarium hostis. Et posito iterum si scripsisset, radicem habere charitatem, non tamen necessariò explicari deberet de charitate, quâ nos Deum diligimus, sed potius de charitate, quâ Deus nos dilexit; id quod præter Apostoli verba, quæ ibidem adducuntur, ea etiam videntur requirere, quæ *Macedo* tanquam Augustiniana citat, quamvis loco ab eodem adlegato non legantur, quasi nimirum scripsisset Augustinus:

Radix

Radix virtutum Gratia dicitur, & hujusmodi radix est charitas. Sit enim ita, scripserit hæc Augustinus alibi fortè, doctrinæ, quam sæpius inculcat de hoc Fidei puncto, minimè contraria; tam non jvant causam *Macedonis*, ut potius eam destruant, & *Thomæ* ad Augustini mentem benè distinguentis, vel potius Evangelicam illustrent egregiè & confirmant, uti attento ponderatori eorum non potest non constare. Scilicet verè dicitur Gratia, nimirum Dei, radix virtutum, atque sic etiam Charitatis, & hujus, id est, Gratiae, radix est charitas, non certè hominis, quod absurdissimè diceretur, sed Dei, à cujus amore tanquam fonte perennissimo omnes Gratiarum rivuli ad nos eunt, nobisque per cumulum Favoris indebiti, cujus singulis etiam momentis reddimur participes, debitum gratæ & reciprocae charitatis inculcant. Cætera, quæ ibidem leguntur apud Augustinum, ad rem ipsam vel parum, vel omninò nihil faciunt, adeoque ob vitandam prolixitatem nimiam nunc quidem prætermittenda, dum præsertim ex antecedentibus constat, quomodo sint intelligenda ad sensum Augustini, & quod hic etiam non est negligendum, nulla planè justificantis Gratiae mentio in illis occurrit, ob quam ad Institutum præfens videri possent pertinere. Patet hinc, quid de Glossa *Macedonis* sit statuendum, scribentis: *Non potest alius ascendere Gratia in adversariorum sententia, eo item ascendit charitas in Augustini doctrina.* Quid si liberalis sim, & plus ultra eam, scribens, Non potest tam altum ascendere Gratia, Charitas adhuc altius ascendit; sed charitas non humana, verùm divina, qua nos amor essentialis ab æterno dilexit, quibus in tempore gratiam, imò non gratiam in numero singulari, sed in plurali gratias easque omni modo indebitas, & nullius omninò meriti respectu exhibuit. Certè si unquam & ullibi, hic certè verum est, quod communi & probato per experientiam proverbio dicitur, *Amor non ascendit, sed descendit*, si originem amoris ejusve ordinem exemplis ferè quotidianis edocti observemus, quod idem Augustinus alibi in eodem Commentario diligenter & nervosè è S. Johanne Apostolo monuit, utur à *Macedone* non intellectus, & hinc etiam pro more per vim atque invitissimus ad eas tractus partes, quibus nunquam, ex quo Ecclesiæ & Veritatis Catholicæ causam contra non unos hostes egit semper Dei gratia victor, fuit ulla ratione addictus. Quid enim? Scripsit Doctor augustissimus: *Diligendo amici sumus facti.* Benè hoc, ut melius non possit. Verùm, non de dilectione, quæ nos Deum dileximus, sed de ea, qua Deus nos prior dilexit, intelligendum esse Patrem sanctum, immediatè sequentia docent verba: *Inimicos dilexit, ut efficeremur amici.* Nihil iterum clarius, nihil magis manifestum potuit dici vel scribi. Addit porò, *diligendo pulchri efficimur.* Hic tantum non exultat Macedo, sed cum periculo veritatis, quam per Augustini contra mentem suam advocati auctoritatem, insigniter prostituit, verbis iterum proximè sequentibus antecedentia sufficienter explicantibus, quæ sunt: *Qualis est Amor, qui amantem reddit pulchrum? Amavit nos prior, qui semper est pulcher.* Possitne autem magis sententia Thomæ, qui Confessorem Veritatis Evangelicæ hic se sinit, confirmari & illustrari? Sed, quæ verba maximi videntur esse momenti, pergit ulterius: *Quomodo erimus pulchri? Amando eum, qui semper est pulcher.* Fateor haberent hæc aliquam difficultatem & speciem quandam probabilitatis in favorem *Scoti* & sequacium, nisi antecedentia nos de sententia Augustini juberent esse securos, videlicet, ut uno eodemque contextu sibi ipsi contrarius non videatur, hæc verba, *Quod erimus pulchri*, aliter intelligenda non esse, quàm si scripsisset, quomodo demonstrabimur pulchri, id est, justificati, non coram Deo, sed hominibus, quibus gratia justificans divinities collata aliàs incognita est, nimirum, *amando eum, qui semper est pulcher*, & unà cum eo, qui in se & essentia sua invisibilis est, proximum quem ante oculos semper habemus, idque non verbis solum & nominaliter, sed realiter & ipsismet operibus charitatis à Deo præscriptis & commendatis. Hinc benè in sequentibus addit Augustinus, *Quantum in te crescit amor, erga Deum scilicet & proximum, publicè & in facie aliorum exhibitus, tantum crescit pulchritudo*, id est, tantò majorem à Deo & hominibus laudem impetrabis, si modò hæc opera charitatis è corde sincero, non hypocritico procedant, *quia charitas est ipsa anima pulchritudo.* Patet indè, quid iterum de Glossa *Macedonis* sit statuendum, qua ultimum hoc ex Augustino testimonium munivit & explicavit: *Cujusmodi est Gratia in sententia opposita, ejusmodi est Charitas in Augustini sententia.*

sententia; hec autem gratiosa est, imò & gratia & pulchritudo. Est idem, ac si dixisset vel scripsisset, cujusmodi est causa, ejusmodi est effectus. At qui causa amoris nostri est gratia Dei in tempore collata, ab amore ejusdem aeterno proveniens; amor verò noster est effectus gratiæ hujus, debiti insuper, obligationis ac Nota distinguentis inter fideles & infideles locum habens. Ergo gratia Dei & amor noster sunt uniusmodi. Possent ne quidquam absurdius venire in conclusionem; quæ consequentia tamen valere debet, si propositio major & positus in eo terminus, qui vocatur, medius ita crude sumtus defendetur. Manet, quod hætenus ex Augustino demonstratum, & contra Bellarmini atque Macedonis objectiones pariter & responsiones vindicatum est, gratiam justificantem distingui à charitate, quæ diligimus Deum; non aliter, quam uti causa distinguitur ab effectu. In responsionibus *Valentia, Josephi Parisiensis, Goneri*, quibus contrariam nobiscum Evangelicis tuentur sententiam, essent quidem aliqua, que desiderarent emendationem quandam; quia verò hoc jam non agitur, ut omnium eorum, qui respectu quocunque nostris se addicunt partibus, disputationes deducantur ad liquidum, ideò sufficere nunc potest, generalem eorum in hac Quæstione consensum notasse, præsertim quia per eundem Augustinus quoque noster esse convincitur.

CAPUT OCTAVUM & NONUM,

De

QVÆSTIONE,

An Charitas sit Virtus errata, vel Spiritus Sanctus?

ID quod in antecedenti Quæstione Bellarminus commisit vitium, in hac iterum occurrit, perpetua nimirum confusio Charitatis activæ & passivæ, id est, qua Deus nos prior dilexit, & qua nos Deum diligimus, quod in progressu patebit. Imò statim sub initium semet ipsum ut forex prodidit Bellarminus, dum errorem Lombardi, contra quem hæc Quæstio fuit proposita, sequentibus verbis emollientibus descripsit: *Est observandum, Lombardum non fuisse iam rudem & hebetem, ut existimaret, actionem diligendi, quam nos producimus, quæque Charitas actualis* (si subjectum sit homo, objectum verò Deus; versa vice, si subjectum Charitatis vel terminus à quo sit Deus, objectum verò & terminus ad quem homo) *à Theologis nominatur, esse Spiritum Sanctum; sed, quod docuit Lombardus, id fuit, causam sive principium dilectionis Dei proximum esse nobis Spiritum Sanctum, non autem habitum aliquem creatum, quales sunt Fidei, Spei, cæterarumque Virtutum.* Itaque hoc interesse voluit inter Charitatem & alias Virtutes, quod in istis præter actionem habitus etiam creatus reperitur, in illa nullus sit, sed ipse Spiritus S. immediate nos moveat ad actionem diligendi. Possemus quidem nos Evangelici hanc Controversiam Scholasticis ventilandam relinquere, cujus generis plures inter se habent numero non paucos; quia tamen videtur aliquam habere cum præcedente cognationem, & eum errorem post se trahit, quo non parvus charitatis tanquam virtutis respectus esse statuitur in negotio Justificationis, de qua post hæc ex Augustino pluribus agetur, ideò & hic non omninò debet prætermitti, quoad usque nimirum autoritas Augustini ex instituti ratione nos deducet. Iteratò autem notari debet, inter nos & Pontificios non controversari, an Charitas, qua nos à Deo dilecti Deum diligimus ex debito vicissim, sit qualitas, habitus & virtus creata, sed an hæc Charitas sit idem cum Gratia justificante, & annon Charitas Dei erga nos, quæ ab aeterno dilexit genus humanum, sit fons & origo Gratia justificantis, & hæc eadem Charitas rectè dicatur & dici possit ipse Spiritus Sanctus, qui nobis in ipsa Justificatione cum omni Gratiarum & Virtutum comitatu datur, non ad nudam possessionem, sed ad ipsummet usum, & ut in effectum deducantur?

Etsi igitur pro more Bellarminus hunc Controversia statum non attendat, videri tamen debet, quo sensu autoritatibus Augustini utatur vel potius abutatur pro more. Igitur, Charitatem, quam cum Gratia justificante idem esse defendit hætenus, non ipsum esse Spiritum Sanctum, sed Virtutem creatam, contra Lombardum probare conatur ante omnia loco Pauli classico, quo *Charitas Dei diffusa dicitur*

Rom. V.

in cordibus nostris per Spiritum Sanctum; in cujus explicatione, quod paulò ante ex Cornelio à Lapide etiam fuit observatum, sciendum esse monet, *ambiguum videri posse, loquaturne Apostolus de Charitate, qua nos diligit Deus, an de illa, qua nos diligimus Deum.* Nam Commentarius, scribit porro, qui inscribitur *Ambrosio*, explicat hunc locum de Charitate Dei erga nos; contra autem *Augustinus, Bernardus, Anselmus, & alii* non nulli in hunc locum docent, Apostolum loqui de Charitate, qua nos Deum diligimus. *Plenus verò Commentarius* de utraque explicat verba B. Pauli, ita enim exponunt in Commentario hujus loci *Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Sedulius, Oecumenius, Thomas & alii.* Et postquam ad secundam, quæ dicitur Augustini, explicationem addidit aliqua, ad ipsamet Augustini testimonia provocavit hoc ordine *Sanctus Augustinus*, de cujus sententiâ Quæstio ferè tota est, ita scribit, *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos; sicut Iustitia Dei, qua iusti ejus munere efficiuntur, & Domini salus, qua nos facit salvos, & fides Christi, qua nos facit fideles.* Bellarminus addit, *Hoc loco duobus modis docet Augustinus, Charitatem diffusam in cordibus non esse Spiritum Sanctum, sed virtutem creatam, primò, quia similem esse dicit Iustitiæ, saluti & fidei, secundo, quia dicit, non esse istam Charitatem, quâ nos diligit Deus, sed qua nos facit dilectores suos.*

de Spir. &
lit. c. 32.

Idem *Augustinus* scribit alibi, *Charitatem esse virtutem animi nostri*; quod certe non convenit Spiritui Sancto, inquit Bellarminus. Et iterum alibi scribit, *Charitatem esse Iustitiam, qua iusti sumus; & Iustitiam, qua iusti sumus, esse virtutem animi, quam Deus in nobis efficit*, item, *esse formam, qua formosi ex deformibus efficiamur.* At, inquit Bellarminus, non rectè de personâ Spiritus Sancti diceretur, quod sit virtus animi à Deo effecta, vel forma, qua formosi ex deformibus efficiamur. Denique, apertè distinguit Charitatem, quæ est in nobis, à personâ Spiritus Sancti, scribens, *Dilectio, qua est ex Deo, & Deus est, proprie Spiritus Sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quem nos tota inhabitat Trinitas.* Ubi non dixit, quæ observatio est Bellarmini, dilectionem, quæ propriè Spiritus Sanctus est, in nobis diffundi, sed per illum diffundi in nobis Charitatem Dei, qua videlicet Deum diligimus. Inter rationes, quibus idem evincere studet Bellarminus, tertia & ultima Augustini auctoritatem præ se ferens hæc est: *Spiritus Sanctus non adultos solum, sed infantes etiam baptizatos inhabitat*, ut Augustinus docet: *Efficit igitur in illis Charitatem, at non actualem, igitur habitalem.* Quia insuper Bellarminus sententiam Lombardi iis vidit rationibus & ex Augustino auctoritatibus fultam, quæ lectoribus iudicio prædictis ad sensum possent facere ancipitem & dubium, igitur iis satisfacere omnimodo laboravit. *Prima objectio est, Deus in scripturis absolute Charitas nominatur; est igitur verè & propriè charitas.* Nam ut Augustinus monet, non dictum est, Charitas mea, sicut in Psalmis legitur, *Tu, Domine, es Spes mea, Tu es Paternitas mea*, sed simpliciter, *Deus est Charitas.* Respondeo inquit Bellarminus, non negamus, Deum absolute, verè & propriè dici posse Charitatem, sed quâ nos ipse diligit, non quâ nos eum diligimus; quemadmodum etiam Deus sapientia & Iustitia rectè dicitur, qua ipse sapiens & Iustus est, non quâ nos sapientes & iusti sumus.

de moribus Eccl. c. 20.
de Nat. & Grat. c. 70.
in Psal. 118.
Conc. 26.
Epist. 85.
ad consensum. l. 15.
de Trin. c. 8. & 12.

Epist. 37.
ad Damas. num.

1. Joh. 4.

l. 15. de Trin. c. 17.

l. 12. Cod. fess. c. 13.

C. 1066
ob. 24. 11
2. 11. 11
1. 11. 11
1. 11. 11

At contra est objectio secunda, non solum Johannes Deum Charitatem esse dixit, sed addidit, qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Respondeo, S. Johannes rectissime dicit, eum, qui diligit & diligitur, in Deo manere, & Deum in eo, non quod charitas, quâ diligimus, sit Deus, sicut illa, qua diligimur, sed quia inseparabiles sunt, & ubi est una, ibi etiam est altera, una enim trahit alteram. Nam, quemadmodum Augustinus dicit, *Iustitiam DEI esse Lumen illuminans, Iustitiam nostram esse lumen illuminatum; sic etiam dicere possumus, Charitatem Dei esse ignem accendentem, nostram verò esse ignem accensum, & sicut per inseparabilitatem luminis producti à Sole & Solis producentis dicere solemus, eum qui est in lumine à Sole producto esse in Sole & Solem in eo, ita quoque propter inseparabilitatem Charitatis creatæ & increatæ, quæ est Deus, rectè dicimus, eum qui manet*

in Charitate, in Deo manere, & Deum in eo, cum Charitas sine Deo esse non possit. *Tertia objectio*, S. Augustinus adfirmat, nihil esse melius Charitate; id autem, quo nihil est melius, solus est Deus. Charitas igitur Deus est. *Respondeo*, cum Augustinus docet, nihil esse melius Charitate, non loquitur absolute, sed per comparisonem ad alia dona, quæ in vitâ hac à Deo percipiuntur, ut ipse idem clarius explicat alibi. Et tamen verè, & absolute etiam dici potest, nihil esse melius Charitate, cum Charitas quædam, increata videlicet, Deus sit. *Quarta objectio*, Augustinus iterum alibi ita ratiocinatur: *Qui proximum diligit, consequens est, ut ipsam præcipue dilectionem diligat. Deus autem dilectio est. Consequens est ergo, ut præcipue Deum diligat.* Et iterum, *Nemo dicat, non novi, quid diligam. Diligat fratrem, & diliget eandem dilectionem, magis enim novit dilectionem, qua diligitur, quam fratrem, quem diligit. Ecce, jam potest notior habere Deum, quam fratrem.* Et infra, *Ista contextio satis aperteque declarat, eandem ipsam dilectionem fraternam non solum ex Deo, sed & Deum esse.* In his locis, scribit Bellarminus ex adversariorum sententia, videtur Augustinus ita perspicue docere, Charitatem, quâ nos diligemus Deum & proximum, verè Deum esse, ut nihil contradici queat. Atque hoc est potissimum Lombardi argumentum. Sed respondeo, *subjungit Bellarminus*, certum est, hæc Augustini loca, quamvis alioqui satis obscura, non esse accipienda de Charitate nostrâ habituali, sed actuali, & ideo nihil omnino contra sententiam nostram, vel pro Lombardo facere; nemo enim unquam sibi in animum induxit, Charitatem actualem, quæ est liberi nostri arbitrii effectus, esse Deum. Loqui autem Augustinum de Charitate actuali, probamus, quia dicit, eum, qui proximum diligit, magis nosse & diligere ipsam dilectionem, quam proximum; quod quidem verum est de Charitate actuali, non de habituali. Nam qui diligit, amat ipsum diligere, & cognoscit per experientiam certam, se diligere, sicut cognoscit, se cogitare, videre, audire & similia. Et sine dubio magis novit se diligere, quam ipsum fratrem, quem diligit. Itaque de actuali dilectione verissima sunt, quæ scribit Augustinus; de habituali autem nequaquam essent vera, siquidem habitus charitatis adeo nobis non est notus, ut multi putent, quamvis falso, nullum esse ejusmodi habitum. Porro, dilectionem actualem Augustinus Deum esse dixit, non quod sit Deus per essentiam, sed quod sit imago quædam & participatio divinæ bonitatis; quam qui cognoscit & diligit, cognoscit & diligit Deum, non in se, sed in imagine suâ. Alioquin si de Deo in se loqueretur, nunquam diceret, nos videre Deum, & notior nobis Deum, quam fratrem. Neque enim dubitari potest, quin Deus in hac vita non videatur, ut est in se, ab iis omnibus, qui fratres diligunt. Non absimilis est locus, *ubi dicit Augustinus*, nos ipsam videre æternam & incommutabilem veritatem, quæ Deus est, cum aliquod verum cognoscimus. *Si ambo*, inquit, *videmus esse verum, quod dico, ubi quæso id videmus? Neque ego utique in te, neque tu in me, sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate.* Cum ergo de ipsa Domini Dei nostri luce non contendamus, cur de proximi cogitatione contendimus, quam sic videre non possumus, uti videtur incommutabilis veritas? Quo loco non vult Augustinus dicere, videri à nobis ipsam veritatem subsistentem, quæ Deus est, nisi quadam quasi imagine ejus; omnis enim veritas Deum repræsentat, qui est veritas increata, immutabilis & subsistans. Idem igitur & de Charitate sentiendum est, non enim Deus magis est Charitas, quam veritas.

Ut breviter, quid de hac inter Lombardum & Bellarminum Controversia ex Augustini autoritate pro ratione instituti sit habendum, pateat, præter ea, quæ ex antecedenti Quæstione debent repeti, ipse lector eruditus videt, si Lombardi sententia intelligatur, prout Bellarminus eam putat intelligi debere, videlicet causam vel principium dilectionis Dei proximum esse in nobis Spiritum Sanctum, nihil omnino habere absurdi, & propter scripturæ, ac exinde Augustini testimonia admitti eam posse sine ullo veritatis Evangelicæ præjudicio. Quod locum attinet Paulinum, è Sixto Senensi & Cornelio à Lapide itidem ad Quæstionem proximam actum est, ut repetitione non sit opus. Nunc addo tantum, etsi sententia Augustini mentem Pauli non videatur adsequi, imò eidem esse aliquâ ex parte contraria, quod accuratior integri contextus ratio sufficienter ostendit, cujus respectu alii Patres Cornelio laudati, quos prætermisit Bellarminus, hæc verba de actuali Charitate Dei erga nos interpretati sunt, quos è recentioribus etiam aliqui Papistarum vi-

veri-

de moribus Eccl. c. II.

lib. 15. de Trin. c. 18.

lib. 10. de Trin. c. 7. & 8.

172. Conf. c. 25.

conf. D. Höpfn. de Justific. Disp. IV. p. m. 251.

tis manifestissimæ adacti sequuntur; eam tamen in se consideratam, & ita quomodo Lombardi sententiam Bellarminus explicavit, intellectam ipsius Fidei analogiæ non esse contrariam, sicuti omnino adversatur opinioni Papistarum, ubi eam instituto præfenti ad Gratiam justificantem, quam vocant habitualem & habitum cum distinctione ab aliis infusum, adplicant. Mirum verò iterum videri potest non immeritò, quod Bellarminus contra Lombardi sententiam à semetipso satis commodè explicatam, & quâ stante explicatione locum omnino habere potest & debet, audeat provocare ad Augustini autoritatem, cum tamen supra Cornelius, præter alios, quibus eadem mens est, scripserit, Lombardo occasionem erroris, si modò fuit error, aut juxta explicationem Bellarmini pro errore habendus est, fuisse Augustinum, qui ex sententia Platoniorum statuerit, Charitatem esse Deum. Et multò minus adhuc mirum est, interpretes scripturæ, quo Elogio Cornelius apud suos ante omnes ferè alios laudatur, audent id in publico profiteri & scribere, Augustinum ex sententia Platoniorum statuisse, charitatem esse Deum, quod ipso Spiritu Sancto dictante scripsit expressissimè S. Apostolus Johannes; nisi dicatur, ipsummet Spiritum Sanctum id ex Platone mutuo accepisse, uti forsitan & similem irmodum posset quibusdam non admodum videri improbabile, si dicatur, eundem hunc Apostolum Johannem in descriptione accuratissima & defensione Deitatis æternæ Christi contra pernicaces ejusdem adversarios vocabulum λόγος ex eadem Platonis Scholâ, tanquam omnis, uti videbatur olim, Eruditionis fonte hausisse & ad institutum, quod ante se habebat, adplicasse. De cætero, quod insuper notandum venit præter ea, quæ supra ad Explicationem loci Paulini Augustinianam fuerunt observata, dum sanctus Pater scribit, charitatem Dei, quæ dicitur diffundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum, non esse eam, qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos; ex antecedentibus proximè verbis Augustini patet, eum hæc non exclusivè & ita voluisse intellecta, quasi Apostolus nullam omnino rationem charitatis Dei erga nos habuerit, sed potius ἐλεητικός; quo sensu hæc particula Non frequenter in lacris etiam pro Non solum vid. D. accipitur, atque sic potius referenda sit hæc Explicatio Augustiniana ad tertiam, Glaff. quam & Bellarminus & Cornelius inter alios plures Thomæ de Aquino adscripserunt, Gramm. S. neque eam rejicere omnino sunt ausi, imò Cornelius præ cæteris tanquam suo p. m. 489. iudicio probabilissimam elegit, etsi Bellarminus secundæ adhæserit, non tam in gratiam Augustini, cujus partes non rarò hactenus deseruit, quam quia hypothese, cuius defensionem semel in se susceperat, videbatur potissimum inservire. Hæc autem non gratis dici, aut peregrinam Augustino adfingi mentem, verba ipsius propria docent, quæ loco leguntur citato. Ubi postquam egregiis laudibus Fidem justificantem celebravit, quæ alibi suum habebunt locum, tandem ita scripsit: Postremò hæc est Fides, quæ per dilectionem operatur, &c. Et statim paucissimis quibusdam interjectis: Unde ergo ista dilectio, id est, charitas, per quam Fides operatur, nisi unde illam ipsa Fides impetruit? Neque enim esset in nobis, quantacunque sit in nobis, nisi diffunderetur in nobis &c. Quæ verba conveniunt optimè cum iis, quibus Lombardi sententiam iudicio Lapidensis ex Augustino haustam Bellarminus explicavit, & contra quam Augustini autoritatem adducere debuit nullatenus. Sic, si etiam intelligantur cætera Augustini de Iustitia Dei & Fide Christi, ut omnino ex parallelismo sunt intelligenda, nisi augustissimo Patri inconsequentia crimine adfricare velimus, Bellarmini glossa & notatio duplex cadit, adque suum redit postliminio dominum. In testimoniis Augustini sequentibus, dum Charitatem scribit esse Virtutem animi, nihil id pertinet ad negotium præfens, ubi agitur de Gratia justificante, quæ suum amori divino erga nos æterno debet ortum, non dilectioni nostræ, quæ longis illum sequitur intervallis. Dum porrò dicit eandem Charitatem esse Iustitiam, quâ justus sumus, & Iustitiam, quâ justus sumus, esse Virtutem animi, quam Deus efficit in nobis, è locis similibus patet, intellectum id voluisse Doctorem sanctum de Iustitia, quâ justus sumus, non coram Deo, coram quo nullus homo respectu Charitatis, quantacunque etiam sit, justus esse potest perfectè, utpote, quæ nunquam est perfecta, ut suo docebitur loco; sed quâ justus sumus, id est, demonstratur, per argumentum ab effectu ad causam, coram hominibus, quibus Fidei in corde latentis sinceritas hoc documento ponitur ob oculos. Præterea, quod Charitas dicitur forma, qua formosi ex deformibus efficiuntur, juxta antè dicta ex eodem Augustino ad Dilectionem DEI pertinet,

net, quâ uti ejus sonant verba, *amavit nos prior, qui semper est pulcher.* Ultimum ex opera de *Trinitate* locum, quo Lombardi sententiam omnino putavit opprimi posse Bellarminus, in medium non adduxisset, nisi oculos vel in pedibus, vel à tergo habuisset, Romam in Tusculano respiciens, ubi quartum hunc Tomum elaborasse scripsit. Tam apertè enim Augustinus Spiritum Sanctum præviâ Apostoli Johannis auctoritate dicit Charitatem vel Dilectionem; ut apertius & verbis magis propriis non potuerit: atque id non solum in verbis ab ipsomet Bellarmino citatis, sed aliis etiam similibus, quæ partim antecedunt proximè, partim sequuntur. *Dilectio, quæ ex Deo est, & Deus est, proprie Spiritus Sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.* Ubi non patet, quid in contrarium possit observatio Bellarmini, quâ monet, non dici propriè Spiritum Sanctum esse charitatem Dei, quæ diffunditur, sed per quam diffunditur; nosse enim debuit ex Augustini verbis proximè sequentibus, quomodo & quâ ratione duo hæc simul stare possint, quæ hoc tenore leguntur: *Quocirca rectissime Spiritus Sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei, quod donum proprie quid, nisi charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deum, & sine quâ quodlibet aliud donum Dei non perducit ad eum?* In antecedentibus aliquantò prolixius hoc deducit Augustinus, nobis ad ea tantum nunc attentis, quæ quam-maximè videbuntur perspicua. Ita autem scribit: *Non dixit scriptura, Spiritus Sanctus charitas est, quod se dixisset, non parvam partem istius questionis absolvisset, sed dixit, Deus charitas est, ut incertum sit, & aded requirendum, utrum Deus Pater sit Charitas, an Deus Filius, an Deus Spiritus Sanctus, an Deus ipsa Trinitas?* Post plura, *Si proprie aliquid horum trium Charitas nuncupanda est, quid aptius, quam ut hoc sit Spiritus Sanctus? Ut scilicet in illa Trinitatis simplici summaque natura non sit aliud substantia, & aliud Charitas, sed substantia ipsa sit Charitas, & Charitas ipsa sit substantia, sive in Patre, sive in Filio, sive in Spiritu Sancto, & tamen proprie Spiritus Sanctus Charitas nuncupetur.* Iterum post aliqua, ubi S. Johannis Apostoli testimonium huc pertinens adduxit verbotenus, explicationis ergò subjunxit sequentia: *Hic manifestavit, eam se dilectionem dixisse Deum, quam dixit ex Deo, Deus ergò ex Deo est dilectio.* Et ut ostendat, quia & Filius ex Deo Patre natus est, & Spiritus Sanctus ex Deo Patre procedit, de Spiritu Sancto id potius, quam Filio debere intelligi, sequentia Sancti Johannis verba confert: *In hoc cognoscimus, inquit Apostolus, quia in ipso manemus, & ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis.* Augustinus in rem suam ita explicat: *Spiritus itaque Sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, & ipsum in nobis.* Hæc autem facit dilectio, ipse est igitur Deus dilectio. Paucis quibusdam interjectis: *Spiritus ergò Sanctus significatur, ubi legitur, Deus est dilectio. Deus igitur Spiritus Sanctus, qui procedit ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum in dilectionem Dei & proximi, & ipse dilectio est; non enim habet homo, unde diligit Deum, nisi ex Deo.* Non poterat iterum magis Lombardi sententiam à Bellarmino explicatam magis illustrasse & confirmasse Augustinus, quàm his verbis, ita ut oporteat ab omni Judicio desertum fuisse Bellarminum, quod Augustinum ausus fuit opponere Lombardo, cui tamen ex sententia *Lapidensis* occasionem ad id statuendum præbuit, quod etiam ad oculum nunc est demonstratum.

Ad rationem tertiam, quâ post alias contra Lombardum militavit Bellarminus, dum ex Augustini quodam testimonio illustrationis causâ adtulit inhabitationem Spiritus Sancti sicut in cæteris fidelibus adultis, ita etiam in baptizatis infantibus, per quam habitationem putat effici in illis charitatem, *at non actualem, sed habitualement*, vix observare datur, quid eo voluerit Bellarminus, neque aded patet, quomodo id sententiæ Lombardi contrarietur. Quid enim obtinebit, si dicamus, Spiritum S. in baptizatis infantibus per inhabitationem gratiosam efficere charitatem, sicut in iisdem accendit Lumen Fidei salvificæ, & quidem non nudæ potentialis, sed actualis etiam, ut ut actum & modum adprehensionis adulti non sentiant vel documento quodam possint adsequi, quod suo uberius ostenditur loco, & ex Augustino confirmatur? Nihil certè absurdum inde poterit exculpere, quia potius cadet *Gratia habitualis*, quæ in gratuita justificationis articulo nullum planè locum habet. Et manebit tamen Lombardi ex Augustino sententia, quod charitas, ex cujus fonte manat *Gratia* justifi-

justificans, sit Spiritus Sanctus, à cuius motu homo justificatus ad dilectionem DEI & proximi incitatur, quod hæcenus frustra Bellarminus oppugnavit, multis & hic contradictionibus laborans, & non semel arma contra seipsum ministrans, quod & sequentia docebunt. Dum enim nunc circa rationes in contrarium solvendas occupatur, ut plurimum respondet cum minimo partis adversariae damno, immemor eorum, quæ antehac ipsemet pro Lombardi sententia & in eius favorem scripserat optimè. Nimirum ad primam objectionem fatetur, quia negare non ausus est, DEUM verè, propriè & absolute dici posse charitatem, *etsi non quæ nos cum diligimus, sed quæ nos ipse diligit.* Atqui hoc non est contra Lombardi sententiam à semet ipso explicatam, dum cognovit, *cum non fuisse tam rudem & hebetem, ut existimaret, actionem diligendi, quam nos producimus, esse Spiritum Sanctum &c.* quo ipsum ab omni errore & absurditate liberavit; cuius utriusque reum post eum voluit convincere. Ita, quod ad objectionem secundam respondet, charitatem, quæ diligimus, non esse DEUM, sicut illa, quæ diligimur, sed ita vocari & adpellari, *quia sint inseparabiles*; ad explicationem sententiæ Lombardi pertinet, eamque potius excusat, quam accusat, aliquibus insuper similitudinibus illustrans egregiè. Eadem ferè ratio est responsi ad objectionem tertiam, dum inficias ire non potuit, charitatem increatam esse DEUM, ut potè ens summè bonum, & quo nullum est melius, imò à quo & solo quidem omnia verè bona suam habent originem, sicut in genere donorum, quæ à DEO in hæc vita percipiuntur, charitas occupat primatum, respectu videlicet proximi, de quo ex Augustino ad classicum Pauli locum quæstione proximâ sufficienter est actum. In responso ad objectionem quartam videtur Bellarminus omninò extra se raptus fuisse, adeò confundit charitatem habituales cum actuali, ut, ubi negare debuit, Augustinum agere de actuali, nisi & hic sibi met ipsi contradicere voluit vel scribere, id adfirmet, & è contrario, ubi Augustinus agit de habituali, (rectius, passivâ) ipsum scribat agere de actuali, perpetuo spiritu Vertiginis circumactus & agitatus, dum videlicet, quod refutaret, non habuit, adeoque quid scriberet vel sentiret, ipse nescivit. Augustinum miris torquens modis, quod accidere aliter non potuit ei, eam impugnantem sententiam quasi erroneam, quam explicatione commodissimâ non tolerabilem modò, ut & ipsimet Scholastici hodiè solent loqui, satis probabilem fecit, & quod ex hæcenus dictis constat, Augustini doctrinæ per omnia consentaneam, imò, quod insuper & primariò attendendum, è fonte S. Johannis Apostoli immediatè haustam.

CAPUT UNDECIMUM,

De

Divisione Auxilii vel Gratiae Specialis in sufficientem & efficacem.

PRætermissâ divisione Gratiae gratis datæ & gratum facientis, ut potè Scholasticis propria & Augustini seculo incognita, adeoque in Ecclesiæ gremium ob ipsam novitatem, & quæ sequitur exindè, ab ipsâ fidei in S. literis fundatæ analogia distantiam examinis prolixè ab aliis suscepti hic non indigam; ad eam progredimur rectâ, quæ est in sufficientem & efficacem. Quam etsi Bellarminus adstruere laboret partim contra Calvinianos solam efficacem exclusâ sufficienti, partim contra Pelagianos sufficientem tantum sine efficaci defendentes, nullâ Evangelicorum mentione factâ; tamen quia in admissione gratiæ utriusque eorum explicatio cum Papæ convenit minimè, ratio differentiae indicari debet omninò, & quidem ex Augustino, cuius autoritate hic etiam abutitur Bellarminus, quod breviter ostendendum venit, ne cui imponat augustissimi Doctoris sententia minus dextrè proposita & explicata. Ita autem circa hoc negotium procedit: Sufficientem gratiam, sed non efficacem in illis verbis: *Ad illam Cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio preparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, nec illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur.* Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in illorum liberâ voluntate. Propterea, etsi quisquam sibi tribuit, quod vocatus venit, non potest sibi tribuere, quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit. Et ibidem adferit, Pharaonem antequam induraretur, fuisse vocatum, & potuisse venire, sed quia noluit, meruisse

ruisse obdurationem. Bellarminus subjicit pro more, ex hoc testimonio habemus duo, unum non omnem vocationem esse efficacem, quia multi vocati non veniunt; alterum, omnes vocatos habere sufficiens auxilium ad veniendum. Nam idem puniri eos iuste dicit Augustinus, qui vocati venire negligunt, quia venire poterant, cum esset hoc in eorum liberâ voluntate, ut venirent, aut non venirent, posteaquam per vocationem divinam veniendi vires acceperant. Nam quod vocatio, interna videlicet, sit gratia quædam, & vires præbeat voluntati, idem Augustinus docet clarius, cum sic ait, *Noluit Esau, & non cucurrit, sed & si voluisset, & cucurrisset adjuvatio DEI pervenisset, qui etiam vellet currere vocando præstaret, nisi vocatione contemta reprobus fieret. Aliter enim DEVS præstat, ut velimus, aliter præstat, quod voluerimus. Vt velimus, & suum esse voluit, & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus, solus præstat, id est, posse bene agere, & beate semper vivere.* Hic audimus, addit Bellarminus, DEUM vocando præstare, ut velimus & curramus, & nostrum velle Dei esse & nostrum; Dei vocando nostrum sequendo. Hic etiâ videmus ex Augustini sententia, Esau potuisse velle & currere, & tamē non voluisse, & non cucurrisse, ac per hoc habuisse gratiam sufficientem, sed non efficacē. Idem aperte docet alibi, scilicet, *omnes justificatos posse perseverare si volunt.* Habemus igitur in Augustino, ita pergit Bellarminus, gratiam sufficientem. Ostendamus etiam nunc gratiam efficacem, de qua hunc in modum scribit: *Vt Paulus de Cælo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia DEI erat sola, quia eius merita erant magna, sed mala.* Et alibi, *Hec gratia à nullo cor de duro respuitur; idē quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Iterum alibi dicit, *electis non solum dari, ut perseverare possint, si velint, sed etiam dari, ut velint, & certissime perseverent.* Post hæc Augustini testimonia subiungit rationem ad confirmandam gratiæ sufficientis & efficacis distinctionem sequentibus verbis: Nam si non detur aliqua verè sufficiens gratia, tria sequantur incommoda. Primum, quod homo primus non suâ cecidisset culpa. Nam non habuit efficacem gratiam ad perseverandum, non enim perseveravit. Vel igitur habuit gratiam sufficientem, quâ posset stare, vel non habuit. Si habuit, est, quod nos dicimus; si non habuit, certè non suâ cecidit culpâ, ut Augustinus rectè colligit. Non enim culpæ adscribi potest, quod nullo vitari potuit modo. Alterum, quod videbitur DEUS amicos suos deserere, antequam deseratur ab eis. Nam cum iustus aliquis peccat, certè non habuit efficacem gratiam ad resistendum peccato; si enim habuisset, utique non peccasset. Quod si ne quidem habuit sufficientem, quâ posset resistere, quomodo non fuit desertus à DEO, antequam ipse desereret Deum? Absurdum esset autem, amicos DEI necessario destitui adjuvatio, antequam ipsi cadendo deserant DEUM, testatur Augustinus. Tertium est, quod nemo verè poterit dicere, se non fecisse tantum boni, quantum potuit, ne ullus se reprehenderet merito, quod gratiæ DEI non sit cooperatus, quantum potuit & debuit. Nam si nulla sit efficax gratia, nulla erit gratia, cui ulla ex parte unquam resistatur, ac per hoc unusquisque nihil unquam minus ager, quam id sit, ad quod cum gratia divina movet. At certè sancti omnes ipsi se negligentiae & ignaviae solent accusare, ac se non cooperatos esse gratiæ, ut par erat, cum gemitu confitentur. Jam verò præter gratiam sufficientem dari etiam efficacem gratiam, vel unico argumento illo confirmari potest, quia sublatâ gratia efficaci tollitur fundamentum divinæ Prædestinationis. Prædestinatio enim, uti Augustinus ait, & Gratia preparatio; Gratia verò ipsa donatio. Bellarminus subsumit, At preparatio gratiæ sufficientis est communis etiam reprobis. Deinde, Prædestinatio non est sola preparatio, sed præsentia & preparatio beneficiorum DEI, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur, ut idem Augustinus docet. Novit igitur DEUS, quædam esse beneficia, quibus aliquis infallibiliter liberabitur, & preparat ea, si ad numerum pertinet electorum. Illa autem est efficax gratia, per quam aliquis infallibiliter liberatur. Hec iterum Bellarminus, de quibus quid ex Augustini sententia debeat haberi, repetenda veniunt, quæ supra ad caput hujus libri tertium de hac divisione ex Hülsemanni observationibus ad Augustini mentem sunt adducta & lectori veritatis studiose commendata, partim circa necessarium discrimen inter auxilium & gratiam, quod Bellarminus in hujus quoque capituli inscriptione, sicut alias, non attendit, nec ab aliis scriptoribus Papæis contra debitum & non sine maxima confusione observatur, partim quoque circa oppositionem gratiæ sufficientis & efficacis, quæ tamen nec in scripturâ S. nec ab ipso Augustino, de cujus autoritate nunc agitur, inter se opponuntur.

lib. 1. ad
Simplic.
quæst. 1.

de Cor.
rept. &
Grat. c. 7.

de Grat. &
lib. arb. c. 5;
de Prædest.
Sanct. c. 8.
de Cor.
rept. &
Grat. c. 12.

de Cor.
rept. &
Grat. c. 9.

de Nat. &
Grat. c. 26.
Tract. 2. in
Joh.

de Prædest.
Sanct. c. 10.

lib. II. de
Bono Pet.
sev. c. 14.

naturæ, eo videlicet sensu, quasi aliqua gratia DEI sit sufficiens, imò etiam insufficientis, quæ non simul sit efficax, suo videlicet modo, nimirum, ad gratiam maiorem & uberiorem consequendam, atque id ordinis illius ratione, quem in Conversione hominis observare DEO ex liberrimæ voluntatis beneplacito visum est, ut à gratia ad gratiam, ab unâ ad aliam, à præveniente ad operantem, ab operante ad perfectiorem, à perficiente demùm ad cooperantem, (per quam ipse homo etiam Spiritui Sancto cooperatur, non quidem in ipso Conversionis actu, sed conversus jam atque justificatus, in actibus quotidiana renovationis & studio operum bonorum, quasi fructuum fidei salvificæ) fiat progressus, accommodatissimâ methodo & ordinatissima; cui qui se subicit per gratiam præventus & præoccupatus, à qua sufficientes ad plus ultra eundem vires conferuntur, neque se ultrò eidem opponit, verum patitur à DEO sibi porro benefici, non habebit causam vel de in sufficientia, vel de inefficaci gratia contra DEUM quasi salutis suæ minus cupidum aut invidum, minime autem quasi absolutum & hinc injustum reprobatores conquerendi, sed potius sentiet quotidiana gratiarum à DEO augmenta, donec è subjecto vel pro diversitate considerationis objecto merè passivo, fiat quoque activum, ac inhabitantis gratiæ documenta coram hominibus in aperta luce possit edere, ac fidem operibus bonis demonstrare. *Vbi tamen notandum est*, Evangelicos non omnino repudiare hanc divisionem gratiæ sufficientis & efficaciæ, si nimirum ad fidei analogiam explicetur, uti præter alios accuratissimè explicavit *D. Dorscheus* verbis sequentibus notatu dignissimis: Divisio hæc ita explicari potest, ut sit tolerabilis & bona, si per gratiam sufficientem ipsum beneficium adfectum specialis gratiæ ad hominum conversionem directæ, & sincerissimâ operosaque agitatione & variorum mediorum ordinatione contententis intelligamus, qui adfectus DEI beneficium est universalis & ad omnes homines dirigitur, certo tamen ordine DEI sapientis; si insuper per gratiam efficacem intelligamus ipsam exertionem & motionem gratiæ divinæ specialis talem, quam non excussit aut repudiavit pertinax peccator. Aut si per gratiam sufficientem ordinariam intelligamus gratiæ divinæ administrationem in regno gratiæ, per gratiam efficacem verò extraordinarios & non communiter usitatos divinæ gratiæ motus aut gradus, quos hominibus quibusdam singulariter dispensat & ita insigniter adfundit DEUS, ut miraculo quasi conciliantur cum DEO. Atque hoc sensu locum habere potest hæc divisio gratiæ, non autem sensu pontificio, & quo Bellarminus cum cæteris plerisque eam sumit. Dico, cum cæteris plerisque, non tamen omnibus. Idem namque *Dorscheus* ibidem & alibi, ubi, quæ in *interventione* contra Bellarminianam explanationem scripserat, ab exceptionibus *Cornæi* defendit, meminit quorundam in Papatu scriptorum, qui Distinctionem hanc ita intellectam statuerunt esse insufficientem, inutilem, à sacris literis, Patribus, Conciliis & ratione alienam, nominatim *Oscarii Sylvensis* Episcopi, *Delphini* ex ordine minorum Theologi, *Benti*, Theologi Patavini; quorum vestigia non ita pridem *Iansenius Iprensis* pressit, ita tamen, ut non immerito è castris Scholasticorum in *Calvini* & reformatorum castra transitum fecisse à suis Antagonistis fuerit accusatus, hoc tamen cum fructu & emolumento, ut post citatos dissentientes ansam præbuerit & occasionem subtilius simul & aliquantò accuratius hanc distinctionem explicandi, quam antehac erat factum à plerisque. Inter alios certè *Petavius* ex professo hoc agens, & *Iansenio* tanquam novi dogmatis antesignano se omnibus opponens viribus, aliqua notavit, quæ utut non omnimodam, aliqualem tamen emendationem in melius factam discriminis emollitionem præ se ferre videntur. Horsum debet referri, quod hanc gratiæ divisionem, uti vocat, Scholarum usu tritam, dicit esse non generis in species sed ejusdem speciei secundum accidentia distinctionem; neque aliam esse sufficientis, quam efficaciæ naturam sive essentiam, cum una eademque gratia sit sufficientes ex se & efficax. Quippe, addit, omnis efficax eadem & sufficientes est, & quæ efficax non est, (rectus, non videtur) ac tantum sufficientes est, ex accidenti non habet effectum, quem per se cuique potest & parata est exprimere, nisi libera consensio (rectius, dissentio) voluntatis obstitet. Et aliquibus interjectis: Neque propterea dispar ac dissimilis est sui natura gratiæ, sed eadem prorsus est, sive consentientibus nobis habeat effectum, sive dissentientibus eo careat. Ita enim caret, ut utrobique sufficiat, & ex se se sit idonea ad opus perficiendum; nec ut agat reipsa, id, cuius causa datur, requirat a

Pentad.
Disp. 9.
§. 21.

Anticorn.
c. 36. §. 16.
pag. 525.

Tom. I.
Theol.
Dogm.
L. X. c. 16.
§. 2. & 3.

liud

lud, quam voluntarium nostrum liberumque consensus, sine quo gratia est ipsa quidem, & sufficiens gratia sed non efficax, nimirum demonstratur. Circa Augustini in hac quaestione auctoritatem monet observandum, Augustino de eâ agenti locis à Janzenio citatis non solum de gratia Christi, sed de ejus etiam effectu necessarium sermonem ac mentionem fuisse.

Ita enim sese res habeat, inquit; ut compluribus istis in locis, in quibus de gratia Christi disputat, vel contra Pelagianos exercere nominatimque certet, vel in eorum hæresin intendat animum, vel denique res ipsa & instituta orationis argumentum de gratia effectu eum aliquid dicere impellat. Conversiæ statim inter Pelagianos & Augustinum sequentibus exponit verbis: In causa Pelagiana hujusmodi versabatur controversia, quod isti heretici Institutam & sanctitatem, ac gloriam demum adipisci homines putarent industria suapte ac viribus naturæ sine adjumento gratiæ; sanctos inquam Deoque gratos fieri & esse re ipsa, nec posse tantum esse, dicebant Pelagiani, viribus suis homines, contra quos contendens Augustinus, & gratiam atque ejus necessitatem usumque commendans, non quid illa posset, sed quid re ipsa faceret in nobis, debuit predicare, ut, quemadmodum adversarii, quid naturali & insita virtute sine gratia fieret re ipsa, testimoniis scripturæ & exemplis adstruebant, sic ipse vicissim, quid non nisi per gratiam Christi in nobis operaretur DEVS, iisdem ostenderet argumentis. Post aliqua subiungit, Hanc esse statum controversiæ, ac pro gratia Christi adversus illos hereticos Augustinum disserentem eò vi ac casu disputationis abductum fuisse, ut agendum ipsi foret de eò, quod re ipsa & actu in hominibus efficit gratia, non quid efficere tantummodo possit, ex omnibus libris illius potest intelligi, quos de eò argumento edidit quam plurimos. Et ubi hoc uno & altero Augustini loco confirmare admissus est,

§. 12. inserens notanter, Augustinus nec quidem ipsam fidem aliunde, quam à gratia divinâ derivari in homines tribuere concedit, ad lectoris iudicium provocavit, scribens: Quis igitur non videt, Augustinum gratiæ partes contra Pelagianos propugnantes non disserere de eò debuisse, quod illa potest, & ad quod agendum habet vim & potestatem, sed de eo, quod re ipsa facit, hoc est, de ipso actu & actione, non de possibilitate. Et iterum: Augustinus gratiam Christi cum ipso effectu coniungit, imò per hanc designat illam & explicat, quod voluntas bona sive volitio a gratia tanquam à causa proficiscatur, & propter istam dicitur illa, ad eamque referatur. Unde merito per bonum definitur actum, cum aliquando gratia per sese spectata non nisi divina, id est, potentia, ut vulgo dicunt, effectum suum, hoc est, consensionem voluntatis nostræ contineat. Porro, Ex totâ Augustini disputatione cum Pelagio illud evidens est, gratiam Christi in quâdam possibilitate ab eo statui, plurimumque novos hallucinari Theologos, dum istam Christi gratiam non in divina, id est, possibilitate statim esse, sed in actu ipso, vel actuali; ut sic loquar, efficientiam, ex Augustini auctoritate defendunt indeque nullam, nisi efficacem Novî esse Testamenti gratiam sciunt, qua autem propter voluntatis disensum irrita fit, effectuque suo frustratur, & vulgo dicitur sufficiens, negant Christi medicinalem esse gratiam. Tandem his omnibus adnectit regulam loco non infimo ponendam, Plerisque in locis, quibus aburi scribit Janzenium, ut ex Augustino probet, gratiam Christi nunquam ab usu & effectu separari; de eâ solâ gratia loqui Augustinum, quæ est electorum prædestinationis propria, & quâ ipsi terro provchuntur ad salutem.

§. 14.

§. 18.

Alia prætermitto plura à Pelavio capito sequenti prolixius exposita, cum factis hæc indicente superque, non planè nihil scriptores post Janzenium de rigore scriptorum ante Janzenium remisisse, ac discrimen gratiæ sufficientis & efficaci aliter longè & melius explicasse, quam antehac erat factum, ut adeò responsum ad ea, quæ Bellarminus pro ejusdem defensione adduxit, eò sit facilius, & compendio brevi possit expediti. Et quidem in genere ex dictis constat, quamvis sano sensu discrimen hoc aliquem possit habere locum; prout tamen à Bellarmino ac aliis antehac plerisque Scholasticis Doctoribus fuit explicatum, ita, ut aliquod auxilium gratiæ vel gratia dicatur sufficiens, verum non efficax, admitti posse nullatenus, si absurditatem exinde sequuturam velimus vitare, Deumque à causa peccati & iniustitia damnationis absolvere. Quomodo enim homo infidelis ob id accusabitur, quod non crediderit, si non à DEO gratiam fidei, quam à seinet ipso non potest habere, eamque sufficientem, quæ simul etiam fuerit efficax, accepit; & quomodo damnabitur iuste ob ejus rei defectum, quam

quam efficaciter ei conferre DEUS non voluit, neque contulit re ipsa? Quam impertinenter quoque & absurde diceretur Medius aegroti præbere remedium contra morbum sufficiens, si non etiam posset promittere simul, illud habere sufficientem efficaciam, modò patiens id ritè applicaret, eoque uteretur ad præscriptam à Medico rationem & methodum. Nihil certè hic superest, quidquid etiam fingant subtilia, ut videri volunt, ingenia, quo discrimen hoc ita explicatum possit in salvo constitui & ad liquidum deduci. Neque *Augustini* loca & Bellarmino citata quidquam hic juvant, quin potius contrarium evincunt. Hoc ante omnia certum & optimè notandum est, *Augustinum* hisce terminis gratiæ sufficientis & efficaci non uti, quod ipsiunct Antagonistæ coguntur agnoscere, dum illos ullo in loco expressos ostendere non possunt. An rem per eos expressam habeat, manifestum erit ex dicendis. In primo certè testimonio, in quo de magnâ agitur Cœnâ, illud vix invenietur; nec *Augustinus* scripsit, illos, qui noluerunt venire, habuisse tantum gratiam sufficientem, alios autem, qui venerunt, efficacem. Hoc autem est, quod observat, utrosque vocatos fuisse, nullo plane addito discrimine, ac si venientes præ non venientibus in ipsa ad Cœnam vocatione majorem acceperint & ampliorem gratiam; quod si à vocante Domino fuisset observatum, non potuisset *Augustinus* scribere, eos, qui noluerunt venire, non debere alteri tribuere, sed tantum sibi. Quod ipsemet etiam Bellarminus post *Augustinum* fateri coactus fuit, addens, *justè puniri eos, qui vocati negligunt venire, quia venire poterant, cum hoc esset in eorum liberâ voluntate, ut venirent, aut non venirent, posteaquàm per vocationem divinam veniendi vires acceperant.* Nihil enim aliud hæc verba Bellarmini ab *Augustino* mutuata continent, quam gratiæ sufficientis & simul efficaci descriptionem apertissimam. Exemplum Pharaonis quod atinet, cujus & in antecedentibus, & in sequentibus mentionem facit *Augustinus*, itidem hoc discrimen ita, prout vel Bellarminus, suffulcire non potest, quod expressa sancti Doctoris verba testantur, scribentis, *Pharaonem meruisse poenam, et induraretur cor illi, & tantam mentis cecitatem pateretur, ut tot & tantis, tamque manifestis DEI signis non crederet.* Et iterum paulo ante, *De Pharaone respondetur facillè, cum prioribus meritis, (Scholastici demerita hodiè vocant) quibus adflixit peregrinos in regno, dignum esse effectum, cui obduraretur cor, ut nec manifestissimis signis DEI jubentis crederet.* Atqui, ut dicatur, quod res est, dum *Augustinus* in descriptione hujus Historiæ, in cujus accuratori scrupuloso multorum adhuc hodie ingenia suis opinionibus præconceptis occupata fatigantur in vanum, manifesta DEI signa, imò etiam manifestissima, Pharaoni per Moysen divinitus excitatum modis non unis exhibita ad demonstrandam DEI gratiam singularem & indubitam ita luculenter commendat, non video, quid deesse possit eidem, quo minus & sufficiens, & simul efficax dicatur, si non actu secundo, saltem primo & virtualiter, quo sensu pharmaca naturalem suam dicuntur efficaciam habere, etsi ob ægrotorum renitentiam in ipso effectu non exferant; neque posset induratio Pharaonica, cujus non semel mentionem facit Moyses, sive tantum permissivè, sive etiam immisivè intelligatur, quod suo tempore & loco ex *Augustino* uberius declarabitur à nimio rigore & aliquâ specie Injustitiæ omninò liberari, nisi gratiam sufficientem, & quæ sub hæc necessarîo intelligitur, efficacem in se accepisset Pharaon, utpotè cujus defectum semper pro causa indurationis potuisset adlegare, culpamque ejus in DEUM neque sufficienter, neque efficaciter sibi subvenientem transferre, quod an dici & publicè scripto, & orenus doceri, imò etiam cogitari tantum debeat & possit ab iis, qui manifestam satis divinæ voluntatis non nisi optimæ & sanctissimæ è sacro Codice habent cognitionem, non immeritò vocatur in dubium.

Nunc ut ad posterius quoque testimonium *Augustini*, quo ad gratiam sufficientem, non verò efficacem, præter alios plures abutitur Bellarminus, desumptum ex opere ad simplicianum progrediamur, non præter rem erit de eo hic notare, quæ *Iansenius* Iprensis contra Bellarminum, *Suarezium* & *Lassium* observavit, videlicet, *Augustinum ante Episcopatum existimasse, fidem seu primam voluntatem bonam, quæ ab initio fidei incipit, sic libero tribuisse arbitrio, ut tamen DEI vocationem fateretur præcedere; quæ postea non existimabat, fidem à DEO peculiari benevolentia inspirari, sed eam à voluntate liberâ pendere, ut crederet, quisquis veller. Post conceptam fidem fatebatur, hominem non posse progredi ulterius, quantumcunque veller progredi, sed id, quod veller, hoc est, potestatem bene operandi, seu opera bona, divinitus ei tribuenda esse. Ideoque putabat,*

T. III. I. II.

cap. 31.

n. 60. &
seqq. de
Prædest.
cap. 3.

1. Cor. 4.

putabat, electionem ex fide fieri, ita ut volenti credentique gratiam operandi DEVS insunderet. Tradidit hanc Doctrinam verbis clarissimis in libro expositionis quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos, quam arripuerunt libentissimè Massilienses, ut Hilarius in literis ad Augustinum datis, & Augustinus ipse rescribens retractansque testatur. Cum ergo in isto ad simplicianum libro Augustinus primum ex errore illo respiceret, semet ipsam ex professo suscepit refellendum. Id ubi prolixissimè laboravit ex integro operis contextu ostendere Iansenius, quod hic per partes exscribere, instituti ratio non permittit, id inter alia non prætermittendum monuit, Augustinum hac verba, quibus præter alios etiam Bellarminus est usus, ex erroneo sensu scripsisse, idque eum apertissimè fateri in retractationibus. At de eo securissimè potest judicari ex ipsis Retractationum libris, quorum altero statim sub initium scribit, hoc ad Simplicianum, Ambrosii in Episcopatu Mediolanensi Successorem, opus fuisse primum ex eorum numero quæ Episcopus elaboraverit, nullà ne minimà quidem mentione factà erroris alicujus, aut talis necessaria correctionis, per quam fuerit opus, sententiam à se antehac defensam & publicè propositam defendere, contentus brevi recensionem eorum, quæ hoc libro tractaverat ex professo, in specie de quæstione secundâ, undè Bellarminus testimonium excerptit, & quæ potiorum libri prioris partem facit, sequentia lectori studio exhibens: *In quæstione de Esavo solutione laboratum est quidem pro libero humane voluntatis arbitrio, sed vicit gratia DEI, nec nisi ad illud pervenire potuit, ut veritate liquidissimè intelligatur Apostolus dixisse, quis te discit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Quod volens etiam Martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso definiuit titulo, dicens, In nullo gloriantur, quando nihil est nostrum.* Nulla hic retractatio, talis nimirum, quæ sententiam mutatit aut correxerit, sed iterata potius explicatio ejus, & ex autoritate Pauli & Cypriani uberius confirmatio. Et si integram quæstionis tractatæ seriem evolvamus diligentissimè, quod Iansenius etiam fecisse videri voluit, non licebit observare, Augustinum circa sententiæ emendationem fuisse occupatum, quam constanter & immotâ mente defendit ibidem. Hinc de alio planè responso, quàm Iansenius hic ad inserviendum hypothesei ex suo finxit cerebro, sollicitos esse nos oportet ut Bellarmino ad Augustini auctoritatem hic provocanti fiat satis, exindè demonstraturo, esse gratiam DEI sufficientem, quæ simul non efficax sit, & illam, non accepisse Esavum à DEO; quod tamen Augustinus hic nullibi, imò contrarium planè dixit & scripsit, verbis ibidem expressissimis: *Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad Fidem, eademque res alio sæpè modo dicta moveat, alio autem modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere, de fuisse modum vocandi, quo Esau etiam ad eam fidem applicaret mentem, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob est justificatus?* Indè enim puto sufficienter constare contra Bellarminum, mentem Augustini hic esse, Esavum unius ejusdemque cum fratre Jacobo gratiæ participem factum, quam tamen tantum sufficientem, & non simul efficacem etiam dicere, nescio, an quisquam hyperaspistes Bellarmini dicturus sit, aut, nisi proprias evertere velit hypotheses, possit, dum verè credentibus non modo sufficientem, sed efficacem quoque gratiam adscribunt, inque hoc ipso à gratia tantum sufficienti, quam infidelibus & non credentibus vel non volentibus credere adscribunt & in oppositione ad gratiam efficacem faciunt propriam, quasi signo quodam & notâ singulari distinguunt, utut contra expressam modò Augustini sententiam, quæ sola, si nulla foret alia, sufficeret ad discrimen hoc, prout explicavit eum alius Bellarminus, penitus tollendum & subruendum. Sed contra illud porro etiam inservit locus ex libro ejusdem de *Correptione & gratia*, undè iterum Bellarminus, impertinenter quamvis, aliquod subsidium mutuo sumere laboravit, contra se hic etiam subministrans arma, quibus discrimen dictum impugnari potest facillimè & felicissimè. Nam si, quod vult, ibi docet Augustinus, *omnes justificatos posse perseverare, si velint*, utut interminis id non habeat; quomodo tamen exculpet indè Bellarminus, justificatos non perseverantes habuisse gratiam tantum sufficientem, non simul etiam efficacem; cum tamen omnes justificati, & perseverantes & non perseverantes, quod ad antecedens quoque testimonium ex Augustini sententia fuit observatum, unius ejusdemque gratiæ facti sunt participes, tantè nimirum & tam efficax, ut non perseverantes æque ac perseverantes potuissent perseverare, si voluissent, vel potius & rectius, si noluisse ultro DEI gratiæ ex malitia & mentis

mentis obstinatione repudium dare, seque eâ facere omninò indignos, & hinc etiam omni ratione inexcusabiles. Id quod Pater augustissimus in eodem loco notanter observavit, scribens: *Nec se excusabunt dicentes, sicut modo dicunt, quare corripimur, ita tunc, quare damnamur, quandoquidem, ut ex bono reverteremur ad malum, perseverantiam non accepimus, quâ permaneremus in bono? Nullo modo hâc excusatione à justâ damnatione liberabunt se. Si enim, sicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione, quâ facta est per Adam, nisi per fidem IESU CHRISTI, & tamen ab hâc damnatione non liberabunt se, qui poterunt dicere, non se audivisse Evangelium Christi, cum fides sit ex auditu, quanto minus liberabunt se, qui dicturi sunt, perseverantiam non accepimus. Iustior enim videtur excusatio dicentium, non accepimus audientiam, quàm dicentium, non accepimus perseverantiam; quoniam dici potest homini, in eo, quod audieras & tenueris, perseverares, si velles, nullo autem modo dici potest, id, quod non audieras, crederes, si velles.* Atque huc pertinent tres illæ rationes, quibus discrimen inter utramque gratiam firmare voluit Bellarminus, ubique Augustini autoritate fultus, utpote iisdem semper recurrentibus incommodis & absurditatibus, quibus gratiam, si non sit sufficiens, laborare putat, nisi simul etiam sit efficax, eo tamen sensu, qui indicatus est, & contra Bellarmini sensum capite nunc sequenti uberius indicabitur, ad quod Examen quoque pertinet locorum *Augustini*, quæ ad ejus à sufficienti gratiâ distinctionem protulit in medium Bellarmins.

Laudatis supra Authoribus, quibus nullum, aut non tantum videbatur esse discrimen inter gratiam *DEI* sufficientem & efficacem, quantum vulgò putatur, atque à Bellarmino fuit propositum, potest etiam post Janenium certo respectu adnumerari *Matthias Hauzerius*, ordinis Francisci, qui in altero *Epitomes Augustiniane* Tomo ad librum de *Correptione & Gratia* quædam ex Augustini mente scripsit, quibus hic locus non videtur esse denegandus, ut veritas exindè etiam porro confirmetur. Ponit autem ad verba capitis decimi & sequentium in opere citato hanc difficultatem: *Vtrum* pag. 360. *ex Augustini mente adiutorium illud, seu sufficiens, sine quo aliquid non fit, fuerit tantum ante lapsum, an verò etiam post, hoc autem, seu gratia efficax, sit tantum post lapsum, an verò fuerit etiam saltè, quorundam, ante lapsum?* Et respondet, hinc quidem, id est, ex Augustini verbis, quæ ibidem leguntur, videri, illam sufficientem gratiam fuisse tantum Angelorum & hominum ante lapsum, hanc autem efficacem esse tantum provisam per Christum hominibus, & quidem prædestinatis, post lapsum; sed omnibus inter se collatis, inquit *Epitomator Anatomicus*, videtur potius, nec illam sufficientem gratiam fuisse tantum ante lapsum, neque hanc efficacem esse tantum post lapsum, aut solis propriam prædestinationis, sed hanc & illam fuisse ac esse omnibus omni tempore communem promiscue, exceptâ efficaci gratia perseverantiæ finalis, solis prædestinati propriâ, & quâdam ratione gratiæ minus ante lapsum gratuita, quàm post eum minu autem sufficientis post lapsum, quàm ante eum. Ut hanc sententiam Augustini esse probet *Franciscanus*, duodecim utitur argumentis, Augustini etiam verbis hic & ibi adhibitis, sed non semel iis quoque insertis, quæ parùm inter se videntur convenire, quod iis scriptoribus evenire solet sæpius, qui veritatem laqueis errorum ab autoritate humanâ nexis detinent captivam, huic præsertim non infrequens est, qui Augustinum ad normam Synodi Tridentinæ explicaturum se in operis Præfatione testatus est. Nos exindè hanc tantum notabimus, quæ ad Propositionis de communi universalitate utriusque (& quasi unius gratiæ) confirmationem contra Bellarminum & sequaces videbuntur inservire. Tertiâ igitur rationem deducit ex *obduratione, excæcatione & damnatione per privationem alicujus gratiæ actualis, communis* (nimirum) *aliis adhuc viatoribus, etiam reprobis.* Si communis est, & per ejus privationem, videlicet justam, ob præcedentem ingratitudinem & neglectum, homines ita obdurantur, ut ipsa sequatur condemnatio, opus est omninò, ut sit non modò sufficiens, quo sensu Bellarminus eam describit, sed simul etiam, quia sufficiens, efficax quoque, cum alias nihili esset æstimanda hæc sufficientia, si careret efficacia, quoad se & internam virtutem. Sextam porro proponit rationem ex *Sacramento Baptismi ac verâ regeneratione & conversione etiam reproborum; unde sequitur*, inquit, *cis conferri gratias etiam efficaces, & remitti omnem privationem gratiæ ad salutem necessariam, sicut restitui ad gratias Sacramentales & necessarias, non semper* (tamen) *nec saltè finaliter efficaces, ut patet ex plerisque contra Donatistas libris.* Atqui dum ex Augustini sententia reprobi in susceptione Baptismi regenerantur, & verè convertuntur, ac simul

K k k k

eis

eis conferuntur gratiæ ad salutem necessariæ, quis dicat, gratias hæc regenerantes &c. ita esse sufficientes, ut non simul etiam sint efficaces. Hoc qui ita dixerit, omnem vim & efficaciam Baptismo & cæteris ad æternam beatitudinem mediis à DEO constitutis auferet, ac gratias ponet non nisi inanes & mortuas. In cæteris rationibus & argumentis, ut non semel sibi videatur contrarius, quod aliter fieri non potuit, dum oppositas sibi invicem sententias inter se voluit conciliare, non omisit tamen radios veritatis spargere, qui præsertim ad ultimam rationem his expressi sunt verbis: *Si adiutorium necessarium ad non peccandum etiamnum deesset ei, cui per Baptismum aut Pœnitentiam remissa sunt peccata, & restituta est gratia, non posset ei peccatum imputari.* Rectè per omnia, eo nimirum sensu, quo præsupposita Christi mediatione ab æterno ex merâ DEI miserentis gratia nemo hominum ob solam latem originariam & à primis Parentibus hæreditariam, sed ob infidelitatem & neglectam mediorem ad fidem & salutem à DEO gratiose oblatorum acceptationem & gratiam usurpationem. Atque sic non semel *Franciscanus* hic Evangelicæ veritati ad Augustini mentem præbuit testimonium, quod contra Bellarminum cæteris omninò fuit adjungendum.

CAPUT DUODECIMUM & DECIMUM TERTIUM,

De

Gratia efficaci.

VNdè sit ea, tres diversas proponit opiniones Bellarminus, duas vocat extremas, unam verò mediam. *Primam* dicit eorum, qui eam constituunt in adfensu & cooperatione humana, ita ut ab eventu dicatur efficax, quia videlicet sortitur effectum; & idè sortitur effectum, quia voluntas, humana cooperatur; itaque existimant, in potestate hominis esse, ut gratiam facit esse efficacem, quæ alioquin ex se non esset, nisi sufficiens. Hanc opinionem censent Bellarminus à sententia *Augustini*, Scripturæ S. alienam. Et *Augustinum* quod attinet, dicere eum, *Gratiam, videlicet efficacem, à nullo corde duro respui, quia cor emollit.* Ubi vides, scribit Bellarminus, efficaciam tribui gratiæ, non voluntati humana. Et alibi, ad quæstionem, *cur DEVS uni suadeat ita, ut persuadeat, alteri non ita?* non respondere, quia consentit unus, alter non consentit; *sed exclamare, o altitudo divitiarum!* Itaque refert ex sententia Bellarmini ad arcanum voluntatis divinæ, *cur uni detur efficax gratia, alteri non detur.* Iterum alibi reprehendere Augustinum eos, qui omnes dicunt homines accepturos fuisse gratiam DEI, *si non illi, quibus datur, eam voluntate suâ respuerent;* ubi sine dubio loquitur, uti quidem videtur Bellarmino, *de gratia efficaci.* Non igitur vult, *efficacem gratiam pendere ab humana voluntate, sed à divina.* Denique, addit Bellarminus, tam est hoc in operibus Augustini frequens & obvium, ut supervacaneum sit, pluribus id confirmare. E testimonio Scripturæ primo statim loco provocat ad verba Christi è sexto capite Johannis, ubi dixisse legitur, *omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me, addens, Augustinum hunc tractare locum, nimirum pro gratiæ infallibili efficacia* in citato de *Prædestinatione Sanctorum* opere. Denique, hoc porro subjungit Bellarminus contra opinionem primam, evertit ea omninò fundamentum Prædestinationis divinæ, quam *Augustinus* ex literis divinis solidissimè comprobavit. Inde enim pendet certitudo atque infallibilitas Prædestinationis, quod electis DEUS efficacem præparavit gratiam; *quos enim prædestinavit, hoc vocavit,* vocatione illa, ut Augustinus monet, *secundum propositum,* de quâ dictum est, omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt &c. *Secundam* deinde in alio extremo sententiam vel opinionem dicit Bellarminus eorum, qui gratiam efficacem docent esse actionem DEI Physicam, quæ determinat voluntatem ad volendum & eligendum bonum, quod illi per gratiam excitantem fuerat inspiratum; & quia non potest fieri, ut DEUS physicè determinet voluntatem, quin ipsa voluntas determinetur & id velit, ad quod determinatur, idè fieri non potest, ut ista gratia non habeat effectum infallibilem. *De hac opinione ita Bellarminus;* videtur mihi aut esse omninò eadem cum errore Calvini & Lutheranorum, aut parùm distare ab illo.

Quia

Quia autem contra hunc errorem prolixius se quarto se hujus de gratia Controversia libro disputaturum promittit Bellarminus, hic autem ostendere tantum laborat, non esse hanc opinionem Doctrinae Augustini conformem, igitur nos quoque ejus vestigia sequamur, ut ut Calvinus sententia cum Evangelicorum Doctrina nihil omnino habeat commune; eum videlicet in finem, quia Bellarminus non pauca immiscet, quae aliquam necessarium requirunt censuram, & ipse simul agnoscit, qui hanc opinionem secundam de voluntatis praedeterminatione divina sequuntur, eos ideo potissimum sequi eam, quod eandem Augustini esse sibi persuaserint. Inde scribit, quatuor argumentis posse demonstrari, Augustini mentem longe aliam fuisse, quam istorum sit, & simul explicari, quae sit vera de efficacia gratiae sententia, id est, uti sub initium dixit, inter duas extremas media. *Primum*, inquit argumentum sumitur ab iis Augustini testimoniis, in quibus docet, gratiam efficacem consistere in vocatione sive persuasione & illustratione interna, ac proinde ad gratiam excitantem potius pertinere, quam adjuvantem, si per hanc intelligamus physicam DEI cooperationem. Igitur sic loquitur Augustinus, vel adloquitur potius quamvis hujus Controversiae Quaestionis tractatorem: *Attendant & videat, non ideo tantum istam voluntatem muneri divino tribuendum, quia ex libero est arbitrio, quod nobis naturaliter est creatum, verum etiam, quod visorum suasionibus agit DEVS, ut velimus & credamus.* Et ibidem, *His modis, quando DEVS agit cum animarum rationali, ut ei credat, neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat; profecto & ipsum velle credere DEVS operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus praevenerit nos.* *Consentire autem vocationi DEI, vel dissentire, propriae voluntatis est; quare non solum non infirmat, quod dictum est, Quid habes, quod non accepisti &c. verum etiam confirmat. Accipere enim & habere dona non potest anima, de quibus audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, DEI est, accipere autem est habere utique accipientis & habentis est.* Bellarminus hanc addit glossam, hoc loco Augustinus primum ostendit, ipsum velle bonum esse donum DEI, non quomodo Pelagiani docebant, quia sit ex libero arbitrio, quod nobis à DEO donatum est, sed quia sit ex peculiari gratia DEI. Deinde explicat, quidnam illa sit gratia, ac dicit esse suasionem, inspirationem, visorum immisionem, internam vocationem. Denique excludit opinionem illam, quae docet, à DEO determinari voluntatem, ac dicit, consentire vocationi & suasioni DEI, vel dissentire, esse voluntatis propriae. Et postquam ad idem testimonium de Esavo ex opere ad *Simplicianum* provocavit Bellarminus, de quo ad caput antecedens est actum, hanc ex more subjunxit observationem: *& hic videmus, ipsum velle nostrum fieri à DEO, non per actionem physicam, voluntatem nostram determinantem, sed per vocationem, quae moralis est inclinatio & impulsio, cui liberè consentimus, vel dissentimus.* Pergit post ad aliud Augustini testimonium, quod itidem ex libro *Quaestionum octoginta trium* paulò ante fuit explicatum, & ex Epistola, unde sub initium hujus quaestionis contra opinionem primam aliquod mutuo sumit argumentum, sequentia adponit verba: *Si ita prepararet atque operaretur DEVS hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec illà vocatione alia atque secreta sic ejus ageret sensum, ut eidem legi ac doctrinae ad sensum accommodaret, procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac predicare sufficeret, nec opus esset orare, ut DEVS ad fidem suam corda infidelium converteret.* Bellarminus addit iterum, vides hic, gratiam DEI efficacem, quae corda convertit infidelium, & voluntatem bonam, quae in nobis operatur, esse vocationem altam atque secretam, quae sensum internum, id est, mentem agit, atque illi persuadet, ut consensum doctrinae, quae sibi praedicatur, commodet. Porro verbis Augustini, quae supra ex opere de praedestinatione sanctorum Bellarminus adduxit, haec ulterius adjungit, quibus citatum è Johanne locum ita explicat: *Valde remota est à sensibus carnis haec Schola, in qua Pater auditur & docet, ut veniatur ad Filium. Ibi est & ipse Filius, qui ipse est verbum ejus, per quod sic docet; nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis.* Hic verò, uti Bellarminus iterum notat, non solum discimus ex Augustino, gratiam efficacem esse internam suasionem, quae cordis auribus adhibetur, sed etiam discimus ex Evangelio. Et postquam ex opere de *gratia & libero arbitrio* testimonium Augustini de vocatione Sauli vel Pauli iteratò produxit, quod in antecedente etiam quaestione ad demonstrandam gratiae efficaciam commendaverat, ostensurus porro, quae fuerit illa Sauli vel Pauli vocatio, ex alio itidem citato jam libro ad *Simplicianum* addit

sequebantur: *Quid volebat Saulus, nisi ut invaderet & traheret, vinciret & necaret Christianos? quam rabida voluntas, quam furiosa, quam caeca! Qui tamen una de super voce prostratus, occurrent utique tali viso, quo mens illa & voluntas, sevitia refracta re-torquebatur & corrigeretur ad fidem.* Bellarminus iterum subiungit, illa igitur fuit efficax vocatio, immisio talis vis in mente Pauli, quo ille subito persuaderetur, & vellet credere. Denique explicans, quomodo Pater trahat homines ad Christum,

Tract. 26.
in Joh.

scribit, *ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam: nuces puero demonstrantur, & trahuntur.* Et mox, *si ergo ista, quae inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est, Trahit sua quemque voluntas; non trahit revelatus à Patre Christus? Quid enim fortius anima desiderat, quam veritatem?* Hic aperte videmus, inquit Bellarminus aptis similitudinibus explicatum, quemadmodum gratia trahat animam, non physicè eam determinando, sed invitando atque alliciendo demonstratis iis, quae congrua sunt ei, qui trahitur. Et haec tenus primum Bellarmini argumentum contra praedeterminationem humanæ voluntatis physicam ex Augustino, sequitur secundum ex iis locis, in quibus docet, gratiam DEI, quae facit nos velle, ac per hoc efficax est, esse gratiam praevenientem, & adeo praevenientem, ut sine nobis operetur, & proinde praevenientem non naturâ solum, sed aliquando etiam tempore. Igitur in Epistola ad vitalem laudata scribit, *Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici, comitante, non ducente, pedissequa, non praevia voluntate.* Et ibidem aliquoties repetit, *per gratiam praeveniri voluntatem.* Idem in opere ad Simplicianum sæpè haec tenus citato scribit, *Ipsam velle nostrum & DEI esse & nostrum, DEI vocando nostrum sequendo.* Ubi hunc vides esse ordinem, addit Bellarminus, primò DEUS vocat, deinde nos acceptâ vocatione sequimur. Et post repetitum ex opere de gratia & libero arbitrio locum de vocatione Sauli, subiungit iterum, solam vocat DEI gratiam, quia non cooperabatur voluntas humana DEO in illâ vocandi actione quâ praeveniebat & preparabatur, ut converti vellet. Quare ibidem scribit, *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod preparatur voluntas à Domino.* Et iterum, *ut velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus nobiscum cooperatur.* Quod ante dixerat, gratia DEI erit sola nunc explicat per illa, *ut velimus sine nobis operatur.* Praevenit igitur DEUS, ita porro quasi ex Augustini sententia Bellarminus, & preparat vocando, idque sine nobis; deinde nos sequimur, non tamen sine eius auxilio, vocationi ad consentiendo.

cap. 16.
&
17.

Pfal. 36.

Denique iterum in citata ad Vitalem Epistola, explicans illud, *à Domino hominis gressus diriguntur, & viam eius vult,* observat primò dictum esse, gressus hominis à DEO dirigi, additum deinde, hominem velle, quia, ut ipse loquitur, *voluntas bona DEI domini est, qui gressus hominis propterea primitus dirigit, ut viam eius vult.* Itaque DEUS primò dirigit gressus, preparans voluntatem internâ inspiratione ac suasionem; ipsa deinde voluntas preparata inspirationi ac suasioni liberè volendo ad consentitur.

Sequitur tertium Bellarmini ex Augustino argumentum, ex omnibus illis locis, quibus capite superiori putat esse probatum, dari gratiam sufficientem ab efficaci distinctam. Nam fieri non potest, ita porro Bellarminus argumentatur, ut detur gratia verè sufficiens, quae simul non sit efficax, si gratia DEI physicè determinat voluntatem; istâ enim gratia praeveniente & operante habet homo gratiam efficacem, istâ absente, ne quidem habet sufficientem. Et quia hæc ita putat certa Bellarminus, ut nullâ ampliori indigeant confirmatione, hinc rectâ progreditur via ad quartum & ultimum ex Augustino argumentum, ex illis defunctum locis, in quibus ostendit Augustinus, unde fiat, ut gratia sit efficax, licet non determinet physicè, sed tantum moraliter per modum suasionis. Atque hæc refert duo loca, primum ex sæpissimè citato ad Simplicianum opere, ubi ita, habet, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI, qui hoc vocavit modo, quomodo is erat aptum, qui sequuti sunt vocationem.* Et infra ibidem, *Cujus miseretur, sic enim vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respiciat.* Posteriorem

lib. II. c. 14.

ex opere de bono perseverantia, itidem supra laudato, *Adparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentia, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Et tamen si iudicio DEI altiore à perditionis massa non sunt gratia prædestinatione discreti, nec ipsa ei adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quae possent credere, si audirent utique

utique talia vel viderent &c. Præter autem duo hæc loca Bellarminus alia etiam dicit esse, ex quibus idem colligatur, ea videlicet, quæ supra partim ex opere de *Spiritu & Litera*, partim ex Tractatu citato in *Iohannem*, partim ex opere ad *Simplicianum* de vocatione Sauli adduxerat, omnia denique ad primum ex Augustino argumentum adlata.

Capite sequenti, quoad objectiones in contrarium respondere conatus est Bellarminus, ad primam objectionem præter citatam sæpius Epistolam & opus de *Spiritu & Litera*, provocat etiam ad caput octavum libri de *Prædestinatione Sanctorum*, quorum omnium ab initio statim fecerat mentionem. Ad secundam verò ex Augustino nihil habet, præter id solum, quod Augustinum Epistolâ post centissimam sextâ docere monet, nos non omnino causam in hæc re, quod gratia sufficiens non in omnibus sit efficax, ignorare. Ad tertiam observat, sententiam, quam Augustini esse putat se hæctenus demonstrâsse, aliquâ in re convenire cum opinione prima, sed in multis (etiam) ab illa discrepare. Convenire quidem in eo, quod utraque gratiam sufficientem & efficacem ponat in auxilio potissimum excitante, non adjuvante; discrepare autem, quod prima velit gratia efficaciam pendere à voluntate humana, media verò eam pendere velit à voluntate DEI. Id ubi prolixius deduxit, provocans ad opus Augustini de *Prædestinatione Sanctorum*, sequentem novam objectionem adposuit: *Dices*, si ponamus id, quod Augustinus ponit in opere de *Civitate DEI*, duos videlicet in omnibus pares, tentatos eadem tentatione, eodem modo, loco, tempore, & æque adfectos, & unus tamen resistat, alter cadat; nonne causa diversitatis erit referenda in liberum arbitrium, ut eo loco refert Augustinus? Nam sine dubio gratia etiam fuit æqualis, si vocatio data est utrique eodem modo, loco & tempore, & cum essent æqui adfecti; alioqui non fuissent in omnibus pares. *Bellarminus respondet*, causam diversitatis referendam esse in liberum arbitrium; sed non (tanquam) primam causam. Nam prima, inquit, causa fuit, quia DEUS uni dedit inspirationem, quam prævidit ab illo amplectendam per liberum arbitrium, alteri dedit eandem, sed quam prævidit ab eo rejiciendam per liberum (itidem) arbitrium.

Et hæc hæctenus videbantur sufficere posse ad demonstrationem gratia efficacis, quatenus gratia sufficienti contradistinguitur. Verum ubi Bellarminus ad imitationem Augustini suos recognovit libros, plurima ex ejusdem Augustini sententia adjunxit, quæ omnino huc debent adponi, ne quid studio ob respondendi difficultatem vel impotentiam videatur prætermisum. Et quidem ad caput duodecimum hæc habet: *Diximus*, vocationem DEI internam esse moralem inclinationem & impulsionem, cui liberè consentimus. *Et paulò infra diximus iterum*, gratiam DEI determinare voluntatem non physicè, sed moraliter per modum suasionis. Quo loco per vocem *determinare* non intelleximus determinationem propriè dictam, quæ tollit indifferentiam, sed persuasionem, quæ moralis motio quædam est voluntatis. Neque enim moveri potest voluntas, nisi moraliter, quando movetur intellectu mediante objectum proponente. Sed non ideò volumus negare, voluntatem moveri per gratiam efficienter etiam & physicè, ut explicavimus capite sequenti, ubi diximus, DEUM non solum illustrando intellectum proponere objectum voluntati, sed etiam adspirare bonum voluntati desiderium; *Et infra*, adflare initium bonæ voluntatis, quæ adspiratio sive adflatio est actio physica & DEO propria, qui novit facere intus operando, ut voluntati propositum placet objectum. Neque tamen illa delectatio infusa à DEO, sive complacentia, sive suavitas, ut eam vocat Augustinus, necessitat voluntatem, sed inclinat solum.

Ibi diximus etiam, DEUM per adjuvantem gratiam verè, efficienter & physicè voluntatem movere. Quæ repetere volumus, scribit Bellarminus, ne quis existimaret, nullam nos agnoscere motionem voluntatis per gratiam, nisi moralem. Præterea, & capite eodem, ubi ex Augustini sententia demonstrare sumus conati, gratiam efficacem non consistere in gratia adjuvante & prædeterminante physicè, sed in gratia congruæ vocationis sive excitationis; visum est alia addere ejusdem Augustini testimonia, quoniam res est gravissima. Igitur in laudato

de Cor-
rept. &
Grat. c. 5.

sæpius ad Simplicianum opere ita scribit : *illi (sunt) electi qui congruenter (sunt) vocati ; illi autem , qui non congruebant , nec contemperabantur vocationi , non electi (sunt) quia non (sunt) secuti , quamvis vocati .* Idem alibi , *Quare iste sic , & ille aliter , atque alii (iterum) aliter , diversis & innumerabilibus modis vocentur , ut reformentur , absit , ut dicamus , iudicium luti esse debere , sed figuli .* Ubi docet , homines vocari , ut reformentur , modo non uno , qualis est physica prædeterminatio , quæ in omnibus est eadem , sed variis & innumerabilibus modis , prout varia sunt & innumerabilia objecta , quæ ad movendas hominum voluntates per internas inspirationes à DEO possunt repræsentari . Similis Augustini locus est alibi , ut scribit ,

contra du-
as Pelag.
Epist. l. 1.
cap. 19.

Trahitur miris modis , ut velit ab illo , qui novit intus in ipsis cordibus operari ; non ut homines , quod fieri non potest , nolentes credant , sed ut volentes ex non volentibus fiant . Iterum alibi , *Hæc gratia , si Doctrina est dicenda , sic certe dicatur , ut altius & interiorius eam DEVS eum ineffabili suavitate credatur infundere , non solum per eos , qui plantant & rigant extrinsecus , sed etiam per seipsum , qui suum ministrat incrementum occultus , ita ut non ostendat tantummodo veritatem , verum etiam impendat charitatem .*

de Gratia
Christi.
cap. 13.

cap. 45.

Ubi admittit , efficacem gratiam posse dici Doctrinam , sed interioriorem & efficacem , ut non solum suadeat sed persuadeat , illuminando videlicet intellectum , & inflammando voluntatem . *Et ibidem explicans , quomodo gratia operetur interioris , exemplo conversionis Petri post trinam negationem , inquit , Quod scriptum est , respexit eum Dominus , intus est actum , in mente est actum , in voluntate est actum . Misericordia Dominus latenter subvenit , cor tetigit , memoriam revocavit , interiori gratia visitavit Petrum , interioris hominis usque ad lacrymas exteriores movit & produxit adfectum .* Ecce , quemadmodum DEVS adjuvando adest voluntatibus & actionibus nostris ! *Ecce , quemadmodum velle & operari operatur in nobis .* Ubi non meminit ullius physice prædeterminationis , sed illuminationis intellectus , cum ait , *Cor tetigit ;* excitationis memoriæ cum addit , *memoriam revocavit ;* inflammationis voluntatis , cum ait , *interioris hominis produxit adfectum .* Post ad caput sequens decimum & tertium , in quo respondit ad objectiones partis adversariæ , sequentia in recognitione addit Bellarminus : *Ibidem solvimus argumentum , quo probari posse videbatur , internam illuminationem non esse gratiam CHRISTI propriè , quam Pelagiani negabant , sed pertinere & legem atque Doctrinam , quam idem Pelagiani gratiæ nomine adpellabant .* Potest addi , scribit porro Bellarminus , argumentum aliud ex Augustini testimonio . Nam in eodem de Gratia CHRISTI libro hæc verba Pelagii refert : *Adjuvat nos DEVS per Doctrinam & revelationem suam , dum cordis nostri aperit oculos , dum nobis , ne presentibus occupemur , futura demonstrat , dum Diaboli pandit insidias , dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat .* Deinde his recitatis addit Augustinus : *In his omnibus non recessit à commendatione legis atque Doctrinæ .*

cap. 7.

Ubi videtur Augustinus illuminationem cælestem non ad veram Christi gratiam , sed ad legem atque Doctrinam referre . Respondet autem Bellarminus , Pelagium non agnovisse ullam interioriorem gratiam , sed externam solum Doctrinam Scripturarum sanctarum , quæ dum legitur vel auditur , oculos cordis aperit , & futura demonstrat , & Diaboli pandit insidias , & dono multiformi per promissiones , vel minas , vel exempla , quæ in scripturis continentur , illuminat . Id ita esse , eiusdem Augustini testimonia ex eodem libro petita demonstrant , ubi sic ait : *Quid est ergo , quod iste , Pelagius scilicet , Legem atque Doctrinam deputat gratiam , quæ iuvamur ad operandum iustitiam , quæ ut multum adjuvet , ad hoc adjuvat , ut gratia requiratur . Nemo enim potest Legem implere per legem ; plenitudo enim legis & charitas , charitas autem non per legem diffusa est in cordibus nostris , sed per Spiritum Sanctum , qui datus est nobis . Proinde per legem gratia demonstratur , ut Lex per gratiam compleatur . Quid enim iuvat Pelagium , quia diversis verbis eandem rem dicit , ut non intelligatur in lege atque gratia doctrinam constituere .*

cap. 9.

cap. 10.

At , ita Bellarminus , Lex , quæ impletur per gratiam , est scripta in libris Divinis . Porro ibidem , cum retulisset verba Pelagii , qui dicebat , *Gratiam , quæ DEVS operatur in nobis velle bonum , consistere in promissione gloriæ , in revelatione sapientiæ , in persuasionem omnis boni ;* ita respondit , *Quid manifestius , nihil enim aliud dicere*

dicere Gratiam, qua Deus in nobis operatur velle, quod bonum est, quam legem atque Doctrinam? In lege enim ac Doctrina sanctarum scripturarum futura gloria atque premium promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia revelatur, cum suadetur omne, quod bonum est, & si inter docere & suadere, vel potius exhortari, aliquid videtur distare, etiam hoc Doctrina generaliter concluditur, que quibuscumque sermonibus vel literis continetur; nam scripturae sanctae docent & exhortantur.

Ubi vides, subjungit Bellarminus, per legem & Doctrinam nihil significari, nisi doctrinam scripturarum, sermones & literas. Iterum ibidem scribit, *Legant & intelligant, intueantur, non lege atque Doctrina forinsecus insonante, sed interna atque occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates.* Nota, inquit Bellarminus, illud forinsecus insonante. Adhuc ibidem, cum dixisset, Pelagium confiteri, liberum ^{cap. 24.} arbitrium in omnibus operibus semper Divino adjuvari auxilio, addit, per hoc auxilium intellexisse Pelagium more suo legem atque Doctrinam, atque dixisse, semper jurari, quia primo scriptum est Psalmo, In lege ejus meditabitur die ac nocte &c. Ulterius in eodem libro, Hoc adjutorium legis ac doctrinae propheticae etiam temporibus fuisse, adjutorium Gratiae autem, quae Gratia proprie nominatur, in Christi exemplo esse arbitratur, quod nihilo minus ad doctrinam pertinere perspicitis, quae nobis predicatur Evangelica &c. Idem in laudata superius ad Vitalem Epistolam, Quid est ergo, quod Apostolus ait, Deus in nobis operatur & velle & perficere? Respondeo, per legem suam, per scripturas suas Deum operari, ut velimus, quas vel legimus, vel audimus. Et infra, Corrigantur, qui putant, Gratiam DEI esse naturam liberi arbitrii, cum qua nascimur; aut Gratiam DEI esse doctrinam quamvis utilem, quae per literas & linguas predicatur. Denique ostendit alibi, ^{Contra duas Pelag. Epist. l. i. c. 19.} nullam internum excitationem bonum Pelagianos confiteri solitos, cum tamen suggestiones malas Daemonibus tribuerent. Vos, inquit, in opere bono sic putatis adjuvari hominem Gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipsum bonum voluntate nihil eam credatis operari, quod satis tua declarant verba. Cur enim non dixisti hominem Dei gratia ad bonum opus excitari, sicut dixisti, ad malum Diaboli suggestionibus excitari. Constat igitur ex Augustino, ita Bellarminus iterum, nullam Gratiam internam Pelagianos agnovisse.

Atque sic Bellarminus ex Augustino in causa Gratiae efficacis, quatenus a sufficiente Gratia secundum antea proluxius dicta distinguitur. Ubi quidem putavit, se inter duas, quas vocavit extremas, ex Augustino mediam elegisse, neque in defectu, neque in excessu peccantem, id est, Gratiae Dei in conversione hominis neque justo minus, quod Pelagianis adscribit, neque justo amplius, quod Praedeterminantes facere putat, adscribentem, sed libero etiam hominis arbitrio aliquid in hoc opere concedentem, adeoque omnium tutissimam, videlicet, concordiam Gratiae DEI cum libero hominis arbitrio exhibentem, contra quam nulla amplius esse possit exceptio, & cui omnes boni calculum addere jure meritisimoque teneantur; verum, ut non dicam, post Bellarminum in plures itum esse de hac Quaestione sententias, quas inter alios prolixè recenset D. Dorscheus, ^{Pent. disp. 9. §. 23. & seqq.} ac de singulis suum interponit iudicium, id solum hic notari meretur, neque Bellarminum, qui media se & regia quasi via incedere existimavit, ac, quod ajunt, rem tetigisse, neque, quod hic ante omnia observari debet, Augustini mentem intellexisse vel explicasse, uti Examen testimoniorum ex ejus scriptis prolixissimè laudatorum ponet Lectori Veritatis studioso ob oculos. Ad quod ante-quam progrediatur praesens labor, de sententia verè media & regia, circa hanc Controversiam maximam plurimum & crassissimorum voluminum mole haecenus inter ejusdem Fidei & Religionis socios, nec minori cum motu animorum, quia & non absque multorum scandalo, ac Conscientiarum perturbatione agitatam, certos esse nos ex analogia Fidei Biblicae oportet, ut, quid Gratiae DEI, quid libero, vel servo potius ex sententia Lutheri, imò ipsius in verbo Spiritus Sancti, arbitrio hominis in Conversionis & Justificationis negotio sit adscribendum ex debito, fiat manifestum. Paucis, & ut

breviter ex instituti ratione res expediatur, ex antecedentibus venit repetendum, quod contra Bellarminum ex Augustino fuit demonstratum, distinctionem inter Gratiam Dei sufficientem & efficacem sensu Scholastico sumtam esse nullam, sed uti omnis Gratia efficax est sufficiens, ita reciprocè ac versa vice omnem Gratiam sufficientem esse efficacem quoque, nimirum in se & actu primo, adeoque sine maximâ absurditate dici non posse sufficientem, nisi simul etiam sit efficax, quod uberiori deductione nunc opus non habet.

Hanc v. Gratiam sufficientem & pariter efficacem non esse particularem & electis tantummodò propriam, sed universalem ac omnibus in universum hominibus communem, quoad ordinarium videlicet & Deo placitum homines ad se & salutarem Nominis sui agnitionem vocandi modum, infra docebitur suo tempore & loco. Accedit, quod omninò hic attendendum est, hanc Gratiam Dei efficacem, ex voluntate ejus catholicâ vel universali, quæ sano sensu & cum singulari observatione dicitur antecedens, decerni hominibus non ex præviso liberi in homine arbitrii usu, sed ante omnem ejus prævisionem; non quasi Deus per oculum omniscientiæ non præviderit, qui inter homines Gratia vocanti sint obedituri vel rectius non repugnaturi, sed quia Deus in hujus Gratia exhibitione non attendit vel respexit hanc obedientiam vel non repugnantiam, videlicet tanquam moventem causam, per quam moveatur vel motus fit ad hominem hunc vel illum præ aliis vocandum, quod exindè potest constare, quia simili & eadem Gratia reprobi etiam ac ob pertinacem inobedientiam & repugnantiam, vel quod eodem recidit, inconstantiam & ultroneum à Deo relapsum, quæ communi vocabulo Apostasia dicitur, in æternum damnati vocantur. Et quemadmodum hæc Gratia Dei efficacia non pendet à præviso liberi in homine arbitrii usu, quia aliàs prævisus à Deo ejusdem abusus in pertinaci repugnantia se exerens ipsam reproborum vocationem & Gratia sufficientis collationem ipsis factam tolleret atque impediret; ita etiam non pendet ab ipso actuali liberi ejusdem arbitrii concursu, in ipso nimirum actu Conversionis, utpotè quo tempore libertas arbitrii in homine demùm convertendo ad bonum est nulla, excitatur autem in eo per ipsam convertentis Dei gratiam, sicut è contrario hæc ipsamet Dei Gratia, in se non sufficiens tantum, sed simul etiam, quod sæpius repetendum est, efficax non solum potest impediri, (quia Deus in ejus collatione non agit secundum omnes Omnipotentia vires, quo modo si agere vellet & operari, neque primus homo potuisset labi, neque ullus homo posset Deo omnipotentem resistere) sed etiam, de quo præter plura in S. Literis exempla etiam quotidiana & tristis testatur experientia, sæpius fuit impedita, quia & de facto sæpissimè, adhuc & singulis quibusque momentis impeditur in suis actionibus & provenientibus ex mero amore operationibus, videlicet per liberi, vel potius servi post lapsum arbitrii ad malum ex labe hæreditaria occursum & contumacem resistantiam, quam extraordinaria & singulari Gratia tollere & superare, adeoque hominem per vim omninò irresistibilem ad se trahere, Divina obligationis non est.

Etsi autem ab hac Dei Gratia, nimirum ordinaria & omnibus communi, removeatur vis hæc extraordinaria & irresistibilis, quæ in non planè nullis locum habuit, ut exempla docent inferius adducenda; non tamen, quod Bellarminus voluit, agit hæc Dei Gratia sufficiens pariter & efficax, per suasiones solum morales & internas, objectum amore dignum nobis proponendo, sed continet actio hæc Divina verum quoque, potentem simul & verè efficacem influxum, ita ut quamvis homo naturaliter repugnet huic Gratia motui, qui fit per verbum Dei prædicatum & auditum vel lectum, tanta tamen insit huic verbo vis & virtus, atque auditori vel lectori ejus à Spiritu S. conferatur, per quam superare possit hanc repugnantiam, ab eademque cessare, utut semper aliquid etiam post Conversionem remaneat ad debitum quotidianæ renovationis incrementum, & in Statu Militia spiritualis exercitium, Gratia Dei in homine motibus bonis Spiritus S. obedienter se subjiciente semper augmentum aliquod capiente, de quo ad Controversiam præcedentem quoque actum est. Sententia Evangelicorum orthodoxâ ad mentem sacrarum literarum sufficienter exposta, quam clarissimis scripturæ dictis munire & confir-

mare

inire facillimum esset, si id jam ex professo ageretur, ordinis & instituti ratio requirit, ut quæ mens propria fuerit Augustini, candidè lectori proponatur, & eò majori quidem studio ac diligentia, quia ad ejus auctoritatem & consensum à diversissimis & contrariarum planè opinionum Defensoribus provocatur, quovis eum ad suas trahere partes pro viribus conante.

Agnovit id inter alios, quæ fuit ingenuitate, non ita dudum celeberrimus Sorbonista Parisiensis, *Johannes Launojus*, in de *Confessione Fidei Pelag.* Opusculo hæc notatu digna exhibens: *De adsequenda Augustini circa Gratia efficaciam mente nunc ita vehementer disputatur, ut nec unquam sortitura sit modum finemque disputatio, nec quid ille certò perseveranterque senserit, in apertam lucem consensionemque sit abiturum. Imò ex Augustini testimoniis, qui sua sibi faciunt singuli mapalia in quibus habitent: Observaturi, se mutuo, & qui libros utroque citroque componunt, in quibus contrarias in opiniones super tanti Doctoris sententia distrahuntur, iis sine dubio efficiunt Viri eruditi, & quo eruditiores, eo probabilius, ni fallor, efficiunt efficientque continuo, ut Augustinus alter esse videatur Theramenes, qui cum utrisque versetur, & neutris accedat. Et post quædam: Augustinus stare non potest ab illorum partibus, qui sua nunc faciunt momenta rationum, quibus Augustini de Gratia efficacia olim apud Prosperum & Hilarium pulsabatur opinio. Qui nunc dierum annulis suis eadem prorsus opponunt, quæ Augustini veteres annuli opponebant Augustino, primùm inter se dissentiunt, nec magis, quam in eandem oppositarum usu possunt consentire. Deinde omnes ab Augustino dissentiunt equaliter, nec distinctionis caput, quod ad rem pertineat, excogitari vel fingi majus potest aut evidentius. Præterea iis, qui cum veteribus annulis Augustini in eandem oppositarum usu consentiunt, non opponuntur, quæ Augustino apud Hilarium & Prosperum opponuntur, res tamen aliter se haberet, si cum Augustino consentirent bene. Nam summa cum illis Augustini consensio efficeret, ut quæ Augustino opponerentur, eisdem similiter opponerentur, & contra, quæ illis opponerentur, ea pariter & Augustino opponerentur. Atque ex hoc quoque patet liquido, Doctorum genus istud in nime cum Augustino concordare. In his autem omnibus, quæ eundem via (quamvis) diversa ferunt scopum, certa statuitur norma, prescriptio, regula, quæ Doctrinæ de Gratia efficacia Augustiniane sectatores veri à falsis secerantur.*

Pag. m. 461
& seq.

Hæc ille uti solet, de hac Controversia acutissimè, in quibus etsi non expressit nomina eorum, quos ab utraque parte Augustini auctoritate ad opinionum inter se diversissimarum & directè se invicem ac mutuo oppugnantium defensionem abuti observavit, & sine partium studio apertissimè hic indicavit, ita tamen eos descripsit, ut, qui aliquem harum non adeò recentium Controversiarum, nec in occulto hæctenus ventilatarum habent pragultum, & in quo cardo atque Status Quæstionis versetur, sunt edocti, facile possint subodorari, Eum lites à multo tempore inter Dominicanos & Lojolitas, hodiè autem inter hos & Jansenistas ita dictos fervidissime, ut supra dictum est, agitates indicare lectori erudito voluisse, & suam simul exponere mentem, videlicet, neutros jure ad tribunal Augustinianum adpellare, cum ab utrisque Doctor augustissimus *dis dia parous* & quasi è diametro ac directissimè dissentiat, quod à Doctore Romanensi Ecclesiæ addicto scriptum cum debita gratiarum actione accipitur, & pro insigni Veritatis Evangelicæ testimonio habetur.

Et quia de *Jansenii Ipsensis*, causâ multus hodiè labor est Scriptoribus Papæis, nemine non inter eos, qui Censuram Romanorum Pontificum Anti-Jansenianum amplectuntur & amplecti ex obligatione vel ordinis, vel loci, vel alio etiam respectu coguntur, occupatissimo, ut Leoni mortuo visus sit insultasse, ac aliquam victoriæ partem de eo reportasse, cujus ali-quod documentum & specimen præbere potest *Bibliotheca*, uti vocatur, *Anti-Janseniana*, ante Annos non ita multos edita, fortè suo tempore auctior & locupletior proditura; hinc Lectori curioso non

erit ingratum spero, si hujus Sorbonicæ judicio addatur liberrimi etiam scriptoris, nimirum *Caramuelis* de Jansenio ejusve Augustino censura, quam legere licet in Catalogo operum suorum editorum & edendorum, posteriori *Theologiæ Fundamentalis* parti Editionis primæ Francofurtensis promisso, in Editione autem Romanâ & quæ eam sequebatur, Lugdunensi cum pluribus aliis liberaliori, quàm Inquisitionis tribunal rigorosum ferre poterat, calamo in gratiam S. Alethæ exaratis omisam. *Promissit ibidem*, scripturum se quoque Augustinum, inque eo probaturum, primò, vix ullum in toto Jansenio esse syllogismum, qui reprehensione careat, atque illaturum in dè, Authorem fuisse Rhetorem, non Dialecticum. *Secundò*, textus ipsos contra Augustini mentem allegari. *Tertiò*, Lutheranos & Calvinistas hodiè in liberi Arbitrii materia propius ad se (id est, partes Romanensium) accedere, quàm Jansenianos. *Quartò*, istam doctrinam, quæ necessitatem sub specioso libertatis vocabulo protrudit, (cætera enim, *inquit*, quæ cum necessitate voluntatis connexionem non habent, & quæ nomen necessitatis in nomen infallibilitatis convertunt, fortassis sunt tolerabilia) in Luthero & Calvino, à Synodo Tridentina, in Michaelæ Baio à duobus Pontificibus, & ab aliis duobus in Jansenio esse meritò damnatam. *Et post quædam addit*, suaderem docto alicui Janseniano, ut totum hunc librum ad mentem D. Thomæ corrigeret, & omnia, quæ de necessitate absolutâ Jansenius habet, aut ad infallibilitatem, (& hoc melius,) aut ad necessitatem sensus compositi, (& hoc severius,) revocaret, hinc Gratiæ deduceret efficaciam, hinc cognosceret Pelagianorum & Semipelagianorum veterum exorbitantias, ut in eorundem placitis (non enim omnia sunt hæretica) vera separaret à falsis, & in parallelis laudaret juniorum doctrinam consentientem Pelagio in articulis, in quibus iste consonuit veritati. Sanè, *ita pergit Caramuel*, in Augustino Jansenii, multa est materia, quæ formam Thomisticam non recusaret, si daretur agens extrinsecum, quod eam induceret. *Subjungit*, Ego, si per occupationes liceret, possem, ut puto, illam rudem indigestamque aut monstrosè conformatam materiam exuere formâ Jansenianâ, quæ quatuor displicet Pontificibus, & sinceris non placet Catholicis, & vestire Thomisticâ unius aut alterius anni spatio. Si hoc semel fieret, *his verbis colophonem imponit huic iudicio*, cessarent Controversiæ, & novus ille liber Angelici Doctoris doctrinam magno confirmaret suffragio. *Hec ille* ante annum non unum aut alterum, sed plura eorundem iustra, quæ si huic labori impendisset, omisissimè & plurimum omnino annorum, *Theologia intentionali & præintentionali*, in multis inutilibus, quin imò scandalosis Quæstionibus occupatâ, ut de aliis, quæ post hæc edidit, nihil dicam, non paucam fortè apud eruditos iniisset gratiam, quamvis dubitandum, an apud Romanenses etiam, quorum nutu non tantum multa omittere debuit, in *Theologia Fundamentali*, ut supra dictum, quin & non pauca corrigere & emendare, quod aliàs suo tempore uberius demonstrabitur, sed calamum quoque, ut non omnino inhiberi; non parùm cohiberi tamen, ob causas domi notas, & ex ratione status sui est passus, ne videlicet gratia capitis excideret, inque id incideret periculum vivus, quod alii justò, ut putabatur, liberioris styli ante ipsum erant maximo cum autoritatis obtentæ damno experti, quorum vestigia etiam post fata poterant cum terrere, qui non unò Romæ & alibi didicerat documento, nec Augustini, nec Thomæ Aquinatis hodiè amplius tantum esse æstimium apud plerosque qui primas hic & ibi videntur obtinere partes, quàm antehac fuerat. Nostri in præsens instituti non est, vel Augustinum conferre cum Thomâ, aut illum ex hoc explicare, vel Jansenianos cum Scholasticis conciliare, quod ultimum vix obtineri posse credendum videtur. Hoc ex sententia Evangelicorum, quam Augustini esse statim docebitur, manifestum est, habuisse *Jansenium*, ut de aliis Quæstionibus controversis nunc si leam, in hoc Articulo de Gratia efficaci, quæ in Scholasticis corrigenda videbantur quam maximè. Verùm, quod negari nec potest, nec debet, dum vitare unum voluit sententiæ extremum, uti pluribus evenire solet in fervore disputationis, viâ, quæ dicitur media, non attenta, ad aliud est delapsus extremum, ut non primus, sed habens ante se, quorum premeret inter ipsosinet Romanenses vestigia, phyticæ nimirum prædeterminationis authores ante alios omnes ad Augustini provocantes autoritatem, quam *Jansenius* quoque in rigorosissima ejusdem defensione inculcat semper, & se extra omnem dubitationis aleam in justissimâ ejus possessio-

ne con-

ne constitutum existimat. *Bellarminus* quidem ante *Jansenium* scribens videtur infensissimus esse prædeterminationis physicae hostis & adversarius, & cum aliis scriptoribus non semel in ceteris huc pertinentibus Controversiis à partibus stare Pelagianorum, vel ad minimum, uti distinguebantur, Semipelagianorum, quod suo tempore & loco in posterum patebit; & tamen, quæ vertigo est hominum semel à veritate discedentium, non unas fovet in hac Quæstione hypotheses, quæ non planè nullum supponunt Prædeterminationis & Gratia irresistibiliter efficaciae doctrinae fundamentum, uti examen locorum, quibus ex *Augustino* liberalissimè usus est *Bellarminus*, ostendet. Quamvis enim voluntati humanae in opere Conversionis ad mentem Pelagianorum nihil adscribant Evangelici, non tamen inde sequi putant, ut Gratia Dei in eodem agat omnino irresistibiliter, & sic etiam, quod eodem ferè recidit, prædeterminativè, ita ut à voluntate humana eidem planè resisti non possit, idque ex sententia *Augustini*; qui utut non semel hanc irresistibilem Gratia efficaciam videtur inculcare, non ubivis tamen de ordinario conversionis modo eum agere, sapius autem de singulari & extraordinario, ex integro testimoniorum contextu potest doceri.

Et quidem quod *primum* attinet ex opere de *Prædestinatione Sanctorum*, ad quod alii etiam hoc volentes saxum solent provocare, nihil superesse putantes, quod inservire possit ad sufficienter respondendum, ut Pater Sanctus ab hac irresistibilis Prædeterminationis doctrinâ possit liberari, certum est, describere eum ibidem gratiam, cui id adscribit prædicatum, quod à nullo corde duro respuat. Sed qualis illa sit gratia ex mente *Doctoris Augusti*, dispiciendum venit. *Bellarminus* verba *Augustini* pro more non integra, sed mutilata, ne videlicet sensus eorum pateat statim, recensens dicit, intelligi *Gratiam efficacem*. Admittere possunt hoc Evangelici, sed ita, ut distinguant inter gratiam Dei ordinariam & extraordinariam, generalem & specialem, incipientem & perficientem, quarum distinctionum supra etiam mentio est facta. Ut autem ostendatur, *Augustinum* hisce verbis agere de gratia non ordinaria, generali, incipiente, sed extraordinaria, speciali & perficiente, & facillimum, si verba proxime antecedentia attendantur. Valde, inquit, remota est à sensibus hæc Schola, in qua Deus auditur & docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum, sed ubi & quomodo à Patre hoc audierint & didicerint, non videmus. Nimirum Gratia ista secreta est; Gratiam verò esse, quis ambigit? Hæc itaque Gratia, quæ occultè cordibus humanis largitate Divina tribuitur, à nullo corde duro respuitur; idè quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Vides iterum, lector optime, *Bellarminum* studiosè ea omisisse, per quæ potuisset cognosci sententiæ *Augustini* à *Bellarminianâ* diversitas.

Eomet ipso enim, dum Gratiam hanc vocavit *secretam*, eamque dixit occultè tribui, indicavit, sibi non de ordinaria, sed singulari & extraordinaria sermonem esse, cum ordinaria non in occulto dispensetur, sed in aperto & luce quasi publica, per vocationem videlicet & prædicationem verbi omnibus, diverso quamvis gradu & modo, communem atque manifestam. Neque potest obviare vocula *primitus*, quæ videtur ad Gratiam incipientem referri debere; quia in vocatione & collatione Gratiae extraordinariae incipiens cum perficiente ut plurimum ratione temporis sine prolixiori mora intercedente est conjuncta, uti exemplis ad *Augustini* mentem paulò post uberius declarabitur. Posito autem, ut ex aliorum interpretatione hic sumus liberaliores, *Augustinum* loqui hic de Gratia & vocatione ordinaria, nec dum tamen id obtinebitur, quod voluit *Bellarminus*. Nam si scripsisset *Bellarminus*, non posse respui Gratiam Dei ab ullo corde duro, fortè huc posset trahi ejus autoritas; sed notanter de ipso actu, non de potentia hoc scripsit, respiciens sine dubio in commendanda hac non repugnantia cordis humani præscientiam divinam, quinam ex hominum numero pertinaciter sint repugnaturi, quinam verò Gratiam vocationis per vires non proprias, sed in ipsa vocatione collatas susceperunt & ordini Divino ex debito subjecturi. Agit nimirum sanctus Doctor, quod tota tractatio docet, contra eos, qui Fidem ac ejus initium propriis adscribebant viribus, ejus verò augmentum & supplementum Gratia demùm Divina; vanam eorum gloriationem retundens, & sicut omnia Gratia munera, ita et-

ita etiam Fidei donum non nisi & in solidum ad Deum gratiam referens, quod alibi quoque non semel docuit prolixissime. De cetero, gratiam Dei ordinariè vocantis homines per verbum non agere irresistibiliter, sed resistere homines eidem posse, imò eidem resistere de facto, ibidem docet *Augustinus* in terminis & expressissime, capite statim sequenti, ubi Quæstionem explicat, quare Christus post tot tempora tandem in carne adparuerit, scribens: *His temporibus & locis, quibus Evangelium Christi non est predicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales, non quidem omnes, sed tamen multi in ejus præsentia corporali fuerunt, qui in eum, nec suscitatis ab eo mortuis, credere voluerunt, quales nunc etiam multos videmus, cum tantâ manifestatione de illo compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humanâ Resistere astutia, quàm tam clarâ ac perspicuâ, tamque sublimi & sublimiter diffamata credere auctoritati divinæ.* Confirmat his Pater *Augustus*, quod paulò ante de Dei præscientia eum scripsisse observavi, & insuper de possibilitate actualis resistantiæ monui, reprobans simul iteratò examinatam supra differentiam inter Gratiam sufficientem & efficacem, quasi specie & numero distinctas, dum clarè insinuat multos resistere implementationi manifestissimæ Prophetarum & nolle credere perspicuæ auctoritati divinæ, quæ omninò efficacem requirunt sufficientiam, nisi excusatione digni videantur, qui gratiæ tam inefficaci & verè etiam insufficienti resistunt & credere noluerunt, Dono Fidei nunquam efficaciter & sufficienter eis subministrato, & hinc omnem culpam recedente in Deum & Gratiam ejus non efficaciter sufficientem, vel non sufficienter efficacem. Imò, perspicuum quoque fit exindè, eandem gratiam efficacem esse, qua vocantur & fideles, & qui credere nolunt, vel vocationi resistunt, quia *Augustinus* non de duplici, sed de una saltem loquitur, cui nimirum ab his voluntariè resistitur, ab illis autem per vires simul collatas ex debito obeditur, Deo hanc obedientialem non repugnantiam ulteriori gratiæ collatione secundum voluntatis suæ beneplacitum largiter coronante & benedicente.

In secundo *Augustini* testimonio, quo *Bellarminus* contra Pelagianorum opinionem ex opere de *Spiritu & litera* militat, etsi in responsione ad Quæstionem, *cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita, fiat provocatio ex Apostolica sententia, O altitudo divitiarum!* testantur tamen proximè subsequentiâ his non absolvi responsum, sed insuper addi illud in scripturis non semel inculcatum, *Numquid iniqui as apud Deum?* Hinc minus plenè *Bellarminus* iterum *Augustini* verba exhibuit, nec etiam perfectè in Glossa ejus sententiam expressit, quasi Pater sanctus retulerit ad Arcanum voluntatis divinæ, *cur uni detur gratia efficax, alteri non detur*, quia non posset ab omnimodâ iniquitate liberari Deus tot millia hominum damnationi æternæ adjudicans ob fidem non adhibitam verbo & vocationi, si illis non gratiam sufficienter efficacem ad credendum & obediendum largitus esset; sicuti Medicus non excusabilis esset à causa mortis eidem imputanda, si Medicamenta non efficaciam contra vim mortis & morbi suppeditasset ægroto laboranti, modò id ex arte suâ præstare potuisset, quam aliàs non semel à magnitudine mali certum est superari, de quo non quotidiana, sed momentanea ferè testatur experientia, quæ tamen imperfectio & impotentia in Deo non habet locum. Quæ tertio adferuntur ex *Augustini* Epistola ad vel contra *vitalium Pelagianum*, non planè nullam videri possent habere difficultatem, nisi in sequentibus ea, quæ aliquantò durius scripta censentur, explicasset, indicans, quomodo sint intelligenda. Verùm est, reprehendit Doctor *Augustus* ibi Pelagianos, docentes, *omnes accepturos fuisse gratiam, si non illi, quibus datur, eam voluntate suâ respuerent.* Sed notari debet altera pars sententiæ Pelagianorum, qui non solum in hominis voluntate statuebant esse gratiam Dei oblatam respuere, sed etiam acceptare eam. Indè in cæptis contra Pelagianos Quæstionibus reprehensoriis hanc alteram partem ita exagitat: *Quomodo, ut detur gratia divina, voluntas meretur humana, si eis, quibus datur, gratia misericordia datur, ut vera sit gratia?* Et paucis iterum interpositis: *Quomodo non gratia Dei est non solum credendi voluntas ab initio, verùm etiam perseverandi usque in finem, cum finis ipse hujus vite non in hominis, sed in Dei sit potestate?* His *Augustini* verbis benè notatis facile tollitur illa difficultas, quæ in antecedentibus seorsim consideratis primâ facie adparet. Accedit alia è numero harum Quæstionum, ubi Pelagianis aliam exprobrat erroris absurditatem, scribens: *Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui consentunt, omnem hominem, quisquis suo corde credit in Deum, non nisi sua credere libera voluntate: cum potius illi oppugnent gratiam Dei,*

Dei, quâ verè ad bona eligenda & agenda sit liberum? His autem & cæteris Quæstionibus contra Pelagianos reprehensoriis præmisit Augustinus sententias quasdam orthodoxas, è quarum tenore de harum quoque sensu iudicium non est difficile. Inter alia sic contra Pelagianos scribit: *Scimus, gratiam Dei non omnibus dari hominibus.* De quâ autem hic loquatur Gratia, patebit ex sequentibus. Porro, *scimus, eis quibus datur, Misericordia Dei gratuita dari.* *Scimus, eis, quibus non datur, iusto Dei iudicio non dari.* *Scimus, eos, qui corde proprio credunt in Dominum, sua id voluntate (non) facere ac libero (eius) arbitrio.* Et postquam his sententiis opposuit quæstiones contrarias hæc ulterius subiungit, ad sensum præsentis Controversiæ interservientia quam maximè: *Manifestum est ex illis non solum omnibus, verum singulis id confici, ut constreamur, Gratia Dei hominum voluntates præveniri, & per hanc eas preparari potius, quàm propter meritum eorum dari.* Ubi etiam hæc non unis Scripturarum testimoniis confirmavit, sequentia uberioris illustrationis ergò addidit: *Hæc ostendunt, Deum gratiâ suâ auferre infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus voluntatum bonarum meritâ, ita ut voluntas per antecedentem Gratiam præparetur, non ut Gratia voluntatis antecedente merito donetur.* Ita patet mens Augustini ex integro contextu, quorsum referri possent loca ejusdem ex aliis operibus similia & parallela, nisi hæc in præsens viderentur sufficere, & in sequenti quæstione de eadem re amplius esset agendum, ac augustissimi Doctoris orthodoxia circa Gratia & Vocationis Divina: universalitatem, in explicando Apostoli loco verè classico, utut à variis Interpretum toruris vexatissimo, esset ex debito vindicanda ac nitiori pristino restituenda. Nunc plus ultra eundem ac progrediendum ad illa Christi è capite Johannis sexto verba, quibus docuit Salvator omnium salutis cupidissimus, *Omnis, qui audivit à Patre & didicit, venit ad me;* quæ verba Augustinum de Gratia infallibili efficacitate interpretari vult Bellarminus. Si sano sensu, & sine hypotheseos erroneæ violenta adplicatione hæc scripsisset Bellarminus, fortè non esset, cur adeò refragarentur Evangelici. Atqui dum efficacem Gratiam hic etiam Gratia sufficienti opponit vel contradistinguit, & quæ ad Gratiam perficientem pertinent, Gratia incipienti adscribit, insuperque verba Augustini alio planè respectu scripta violenter ad suum detorquet institutum, non sine debita animadversione citatio hæc debet vel potest prætermitti. Hæc iterum non sine causa moneri, ipsa sancti Patris verba docent, quæ in laudato de Prædestinatione sanctorum opere, undè primum quoque testimonium fuit desumptum, ita habent: *Quid est, omnis, qui audivit à Patre & didicit, venit ad me; nisi, nullus est, qui audiat & discat à Patre, & non veniat me? Si enim omnis, qui audivit à Patre & didicit, venit; profectò, omnis, qui non venit, non audivit à Patre nec didicit, nam si audivisset & didicisset, veniret. Neque enim ullus audivit & didicit, & non venit; sed omnis, ut ait veritas, qui audivit à Patre & didicit, venit.* Ex his verbis, puto, satis apertè constat, cujus rei causa hæc Christi verba adduxerit Augustinus, videlicet partim ad annihilandum liberum hominis arbitrium in actu Conversionis, quasi quis viribus propriis post lapsum posset venire ad Christum; partim ad indicandum gratia perficientis necessitatem in homine gratiam incipientem non superciliosè & nequiter repellente, sed per vires gratiose concessas obedienter eam recipiente, & ordini in Spiritu S. Scholâ ad agnoscendam voluntatem divinam de sua salute æternâ per media divinitus consecrata se humiliter subjiciente. Non enim simplicem & nudam auditionem in verbis Christi hic intelligere Augustinum, neque etiam intelligi posse, qualis non rarò est apud juratos Evangelicæ veritatis hostes ex unâ, ex alterâ autem parte apud hypocritas etiam, propter quam utrique in extremo olim iudicio erunt inexcusabiles; sed auditionem attentam cum studio obedientiæ conjunctam, verbum proximè adjectum *didicit* manifestum facit, ostendens, Christo, ad mentem Augustini quoque, hic sermonem esse de gratia Dei non incipiente, sed opus (in homine non pertinaciter repugnante, sed passivè erga Spiritum S. intrinsece operantem se habente) per continuatos & uberiores gratia gradus clementer perficiente. E contrario id nimirum constat, dum, qui non veniunt ad Christum, dicuntur non audivisse, quod itidem explicatur per *non didicisse.* Verum multi audiunt, qui non discunt, ii nimirum, quibus Dei voluntas gratiosa de sua salute æterna quidem annunciat, propositis etiam mediis sufficientibus, & ad scopi hujus consecutionem in se efficacibus, additis insuper quoque viribus ad hæc omnia ritè adplicanda quam maximè idoneis, à quibus tamen cuncta respuuntur, verbo non obediunt, media non ad-

prehenduntur, imò potius merà agitur repugnantia & contranitentia, atque sic etiam non venit ad Christum. Illi uti Salvator Christus, Prophetarum maximus & Doctorum Doctor, proprio doctus est exemplo, nulli suam denegans gratiam, quicumque ipsum, quacunque etiam intentione audiverunt, ita dum plerique vel ex odio, vel attentione non debita eum audiverunt, nihil etiam ex hac auditione didicerunt, adeoque nec ad Christum venerunt, nullà certè Christi Doctoris culpà, ex nullo etiam gratiæ vel sufficientis vel inefficacis defectu, sed propria tantum negligentia & partim pertinacia, auribus videlicet non audientes, id est, obedientes, & quæ ad Informationem erant dicta, discere & percipere nolentes, sicque viam ad Christum sibi met ipsis præcludentes.

Atque sic Bellarminus primam de gratia efficaci opinionem, eam à voluntate humanà dependere statuentem ex Augustino refutavit quidem, verùm id nondum obtinuit, quod ad suæ opinionis, quam putavit esse mediam, defensionem exstitimavit pertinere, ut videlicet infallibiliter efficax dicatur infidelibus, sufficiens verò tantum in infidelibus, quam impertinenter etiam dici *fundamentum Prædestinationis*, ex Augustino demonstrabitur, ubi ad eam perventum erit; hoc tantum in antecessum nunc observato, malè iterum à Bellarmino dictum Pauli de vocatione electorum *juxta propositum* quasi ex Augustini sententia huc trahi. Equidem sententiæ hujus Apostolicæ ex octavo capite ad Romanos meminit prolixè Doctor sanctus in laudato opere de *Corruptione & Gratia*, sed ita, ut errori Bellarminiano nullum exindè accedat subsidium. Nam ubi integrum Pauli textum adduxit, sequentia ad ejus mentem adjecit: *Ex illis nullus perit, quia omnes sunt electi; electi sunt autem, quia secundum propositum sunt vocati, propositum verò non suum, sed Dei.* Et post aliqua: *eos vult intelligi, quos secundum propositum vocavit, ne putentur in eis aliqui esse vocati & non electi, propter illam Domini sententiam, Multi vocati, pauci electi. Quicumque enim electi, sine dubio etiam vocati sunt; non autem quicumque vocati, consequenter electi.* Illi ergò electi, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atque præsciti. *Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo perit eorum, quia non fallitur Deus.* Ex quibus Augustini verbis, & contentà in iis verborum Pauli cum oraculo Christi collatione, manifestum est, agere ipsum de vocatione non primà & generali, de quâ Salvator dixit, *Multos quidem esse vocatos, paucos verò electos esse*, ad vitam videlicet; sed de speciali ejusdem respectu fidelium electorum continuatione, quos dum ab æterno prævidit, quod Apostolus loco per Augustinum citato insinuat, primam vocationem accepturos, ejusque gratiam non repudiuros, imò ad finem usque perseveraturos, ulteriorem eis largiri proposuit, & pro voluntatis suæ beneplacito ordinavit, quâ Præscientia & insequente eam gratiosâ ordinatione positâ impossibile est omnino, ut juxta hoc Dei propositum vocatus & electus pereat; etiam si plures primâ vocatione, ut ut itidem sufficiente & efficaci fatis, neglectâ & rejectâ, sine omni culpâ Dei gratiam seriò obferentis & omnibus in universum hominibus optimè cupientis, propriâ animi malitia & pertinacia intercedente pereant in æternum.

Atque sic ostensum, quæ Bellarminus ad evitendam opinionem primam, Gratia efficaciã à voluntate humanã suspendentem, cui Elenchus debetur ex merito ad Augustini mentem videri voluit proposuisse, hypothesibus de Gratia efficaciæ discrimine à sufficienti quas suscepit defendendas, non inservire, sed à sententia Doctoris augustissimi discedere; justo igitur nunc ordine sequitur, ut quid de alterâ, quam vocat extremam, opinione, & quæ communiter *Prædeterminatorum* dicitur, ex eodem Patre sancto habeat, in veritatis gratiam videamus, & quantum fieri potest breviter expendamus. Ubi sub initium examinis iteratò venit monendum, injuriam facere Bellarminum Evangelicis, qui ut à Luthero dicantur Lutherani, ægrè non ferunt, nec sibi turpi ducunt, dum iis unâ cum *Calvino* hunc Prædeterminatorum adtribuit errorem, quia ex pluribus eorum scriptis contrarium plane patet, ut uberiori protestatione nunc opus non sit. Addo tamen, si terminus *Prædeterminationis* intelligatur sobire, posse eum in Conversione hominis ad mentem se literarum describendâ aliquem habere locum, uti id *D. Dorscheus* in posthumo Tractatu de *Gratia* contra *Ferrium* optimè deduxit, scribens: *Cum homo à tenebris ad lucem, ab incredulitate ad Fidem, à bono ad malum se convertit, non seipsum determinat aut prædeterminat ad illam Conversionem; sed determinatur & prædeterminatur, hoc est, ordine prius convertitur à Gratia. Sed illa Prædeterminatio non est absoluta*

Dissert. III.
§. 52. p. 65.

soluta & irresistibilis. Prædeterminat quidem gratia victoriosa, malitiam irrogeniti superando, ad lucem & sanctitatem, sed intra certos limites, quos sanctissimo illi Prædeterminationis ordini posuit. Si opponunt homines extremam malitiæ præteritam, & aperte pertinaciterque reluctantur tractui Spiritus Sancti, non ex defectu roboris, sed ex iudicio justo negligit rebelles, & tractum efficacissimum ultra ordinem cælitus positum non extendit. Ita Prædeterminatio Gratiae efficacia, sed non omnino irresistibilis intellecta ab Evangelicis facile admititur, quæ tamen cum Prædeterminatione Dominicanorum & Calvini adfectorum nihil habet commune, sed ab eâ distat prolixissime.

Mirum verò posset videri non immeritò, Bellarminum aliis, videlicet Evangelicis, & quidem sine omni causâ sufficienti, errorem imputare Prædeterminatorum, à quo tamen ipse non liber fuit omnino, uti nuper modò post alios hoc observavit laudatus supra *Gonetius*, Ordinis Prædicatorum scriptor Recentissimus, in *Clypeo Theologia Thomistica contra novos ejus impugnatores*, ex quarto Bellarmini libro de *Gratia & libero hominis arbitrio*, ubi se contra huic errorem prolixius disputaturum supra promiserat, notans, Eum in concilianda libertate humana cum operatione Divina, sententiam Thomistarum præ *Almaini*, *Durandi* & *Ca-jetani* probabiliorem, & scripturæ sacræ valde consentaneam adseruisse, imò, Doctores Academia Lovaniensis in Epistola Censuræ adversus *Lessium* præmissa testari, cum publicè Lovanii contrariam *Molina* & *Lessio* sententiam prælegisse & *Physicam prædeterminationem* docuisse. Addit, *Fulgattum* & *Sylvestrum de Petrà Sanctâ* in ejus vita adferere, ipsum jam morti proximum coram scribâ publico professum esse, se veritati dedisse, (NB. non auctoritati,) quæ in libris *Controversiarum* adseruerit, neque primam collatenus sententiam mutavisse; undè manifestum putat, ipsam in *Controversis concursum* (Dei) prævium, videlicet, voluntatem (hominis) morventem & ad opus adplicantem cum *Thoma* & ejus discipulis docuisse. Subjungit tandem, Non diffiteor tamen, in eo Bellarminum ab aliquibus Thomistis discrepare, quod isti existimant, *Concursum prævium* esse motionem vel qualitatem fluentem voluntati impressum; Ille autem censet, Deum per seipsum immediatè sine ullius qualitatis impressione uti voluntate creatâ, eamque ad opus adplicare, quòd etiam docent *Nazarius*, *Sylvius*, *Azorius*, & alii adfectores *physicæ Prædeterminationis*. Vnde Bellarminus quantum ad substantiam admittit *concursum* (DEI) prævium, seu *physicam Prædeterminationem*, quare in modo illam explicandi ab aliquibus Thomistis recentioribus differat, ideoque pro hac sententia citatur à *Sylvio* in opusculo de primo Motore.

Tom. III.
Tract. II.
Disp. 6.
p. 156.

Hæc ille, quibus familia leguntur apud alios etiam. De cætero, quod Bellarminus scribit, doctrinam Prædeterminatorum videri omnino eandem cum errore *Calvini*, aut non parùm distare ab illo, plures agnoverunt, quòd præsertim videre est ex libro autem edito *Lugduni* sub nomine *A. Riviere*, Doctoris Parisiensis & Ordinis S. Augustini, quò per inscriptionem satis acerbam *Calvinismus Bestiarum Religio* vocatur, quem *Petrus Aurelius*, Scripta itidem pseudonymus, alias *Joh. Vergerius Haurannius*, Abbas Sancyranus in Biturigibus, in suis contra *Sirmondum* & alios ex *Ignatii Societate* operibus, cum Privilegio Regis & impensis Cleri Gallicani iteratò editis nominatim *Theophylo Raynaudo* adscribit, atque monet, eum in hoc libro *Bannesium* Ordinis Prædicatorum, *Esthium* Cancellarium Duacensem, *Sibicusium* Oratorii Presbyterum, aliisque plures Theologos Catholicos, quòd *Molinistæ* non sint, *Calvinistis* adnumerare. Et notandum est, Authorem, qui non ita pridem *Tomis* novendeim *Raynaudi* operum certo ordine digestorum submit vigesimum & ultimum, & quidem sub emphatico *Apopompæi* Elogio (quale Volumen ipsummet *Raynaudum* edere sub hoc titulo in animo habuisse, *Ephem-*

pag. m. 645
Edit. po-
flet.

voluntatis humanæ prædeterminatione Divinâ sibi persuadere, esse eam Augustini, quod ex pluribus eorum de hoc argumento operibus manifestum est, nominatum ex *Iansenii Iprensis Augustino*, ut ut laudatus ante D. *Dorscheus* contra *Ferrium* notanter observavit, non placere illi (in omnibus) *Dominicanorum Prædeterminationem physicam*, videlicet generalem, de quâ postmodum agetur ex Augustino; ita dum e contrario Bellarminus putavit, Augustinum contra Prædeterminatores, (quibus tamen ipsummet favisse modo dictum est) à suis stare partibus, & *mediam*, quam sibi finxit, confirmare pro Gratia in fidelibus tantum efficaci sententiam, falsum fuisse eum, ex sequenti examine brevissimo fiet manifestum.

Et quidem quod *primum* attinet locum ad primum contra Prædeterminatores argumentum ex opere *de Spiritu & Literâ* desumptum, ipsanque Bellarmini glossam ei adpositam, priores duæ observationes etiam locum habent suum, non tamen sunt sufficientes, dum præter motionem voluntatis ad bonum, quam Augustinus clarè satis exprimit, ad internas etiam suasiones provocat; utpotè dum adhuc manet quæstio, num Augustinus agat ibi de vocatione & Gratia fidelibus & infidelibus communi, uti videtur omnino simile vero, expressâ Gratia prævenientis mentione facta; an de Gratia & vocatione fidelibus & electis propria, quam Bellarminus quasi efficacem à sufficienti & non efficaci distinguit, nondum verò hujus distinctionis fundamentum & rationem ex Augustino ostendit? Sicuti etiam rectè observavit Bellarminus, voluntatem hominis à Deo non determinari, nimirum irresistibiliter; ita dum Augustinus scripsit, *consentire vocationi vel dissentire, propria voluntatis esse*, intelligi non debet, quasi Pater sanctus voluntati humanæ tales tantasque vires à naturâ adscriperit, per quas primam vocationem & Gratiam possit sine ulteriori Gratia Dei accipere vel repudiare, cum in proximè antecedentibus legatur expressissimè, *ipsum velle credere Deus operatur in homine*, sed per voluntatem propriam intelligit vel gratiosè motam ad boni amplectum, vel malitiosè impeditam ad ejus repudium, Gratia & vocante & vires ad consentiendum largiente in se nihilo minus efficaci, utut propter obstaculum ab humanæ voluntatis vel voluntatis pertinacia vires suas non excrente, nec ad eas exerendum obligatâ, quod hætenus potest ad Deum ab omni infidelitatis & infrequentis æternæ damnationis culpâ liberandum sufficere. Idem observari debet & notari de glossâ Bellarmini ad repetitum Augustini testimonium ex opere ad *simplicianum* de *Esavo*, ad quod insuper capite præcedenti & responsum, ut nihil possit amplius desiderari. Exiade etiam repeti debent, quæ ad locum ex Epistola ad *Vitalem* sufficienter sunt dicta, ubi quid per *vocationem altam atque secretam* Doctor augustus voluerit intellectum, è scopo scribentis indicatum fuit. Quin & nullam hic injungit moram locus ex opere *de Prædestinatione sanctorum*, cui itidem in antecedentibus jam est satisfactum.

De vocatione Sauli vel Pauli verò aliquid amplius addi debet necessariò, cujus rationem è duobus Augustini testimoniis describit Bellarminus, utrobique autem ita, ut ad institutum, cujus gratia adduxerat, minime quadret, cum satis clarè testetur Augustinus, se circa illam aliquid singulare & extraordinarium agnoscere, ad Gratiam & vocationem ordinariam non trahendum vel adplicandum. Hinc loco priori ex opere *de Gratia & libero arbitrio* vocationem Pauli ad conversionem vocat *efficacissimam*, non ita vocaturus, si eam ad ordinarium vocandi modum referri posse existimasset. Posteriore autem loco ex opere ad *simplicianum* scribit expressè, voluntatem ejus ravidam, furiosam, cæcam *servitia refractâ* fuisse retortam, quibus verbis non-nisi extraordinariam Vocationis Gratiam & emphaticissime quidem descripsit. Alibi adhuc manifestius expressit, quid de hac Sauli vocatione sentiret, notanter scribens: *Illius conversio desuper facta, manifesto etiam Miraculo adparuit*. Quid autem apertius scribi poterat ad extraordinariam vocationem indicandum, quam alii etiam Doctores Ecclesiæ ultrò hic agnoscunt, & idem Augustinus iterum alibi commendavit prolixissime, verbis hæc occasione non prætermittendis: *Cum Petrum & alios Apostolos solo verbo vocasset, Paulum prius Saulum Ecclesiæ suæ magnum postea adificatorem, sed horrendum antea vastatorem, non solum voce compevit, verum etiam potestate pro-*

1. I contra
duas Pe-
lag. Epist.
c. 19.
Epist. 50.
ad Bonif.

stravit, atque tenebris infidelitatis sevientem ad desiderandum lumen cordis ut surgeret, prius cecitate corporis percussit. Et paucis interjectis: *Vbi est, quod isti clamare consueverunt, liberum est credere, vel non credere? Cui vim Christus intulit? quem coegit?* Ecce, habent Apostolum Paulum. *Agnoscant in eo prius cogentem Christum, & postea docentem; prius ferientem, & postea consolantem.* Mirum est autem, quomodo ille, qui pœna corporis ad Evangelium coactus intravit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Evangelio laboravit; & quem major compulsi ad Charitatem timor, ejus perfecta Charitas mittit foras timorem? Post aliqua repetit, *A Christo coactum ostendimus Paulum.* Equidem in alio planè argumentò versatus hæc scripsit Augustinus, agens de coercionibus hereticorum, in quem finem hoc testimonium à Gratiano Juris Canonici compilatore binis commendatur viribus, quo jure, quave cum argumentationis vi & efficacia, alio tempore & loco ostenditur; inde tamen & cæteris Augustini locis, ubi hujus Paulinæ Conversionis occurrit mentio, constat, eam ab ipso, & rectè quidem, non pro ordinario vocationis modo, sed singulari & extraordinario habitam fuisse & agnitam, atque sic impertinenter planè & præter debitum huc trahi & adplicari, ubi de communi & ordinario agitur, qui suas patitur & habet exceptiones, hoc & aliis pluribus Exemplis confirmandas.

Adultimum nunc progredior Augustini testimonium, quo Bellarminus in primi contra Prædeterminationis doctrinam argumenti illustratione usus est, in *Expositione Johannea* legendum, ubi tractio ad Christum per Patrem explicatur, Bellarmino inter extrema duo non medium eligente, sed potius ab uno extremorum ad aliud se conferente, videlicet à Gratia irresistibiliter prædeterminante ad Gratiam cum voluntate hominis vocati congruitatem vel congruentiam, cujus tamen Augustinus nullam omninò ibidem fecerat mentionem, agens nimirum contra tractionem violentam, sed non ponens tractionem congruam *objectivè* intellectam, uti vult Bellarminus, verùm Gratiam vocantis & trahentis sufficientem efficaciam commendans. *Magna Gratiae commendatio*, scribit sanctus Doctor, ubi verba Christi de Patris tractione incipit explicare, addens, *Nemo venit, nisi tractus.* Atqui positâ hac congruentia, tractio vix locum poterit habere. Subjungit, *Quid hic dicimus, Fratres? Si trahimur ad Christum, ergò credimus invitari, ergò adhibetur violentia, non voluntas excitatur?* Ecce, dum huic tractui voluntatis humanæ excitationem adscribit, eomet ipso congruitatem objectivam inficiatur; quia si aliqua locum haberet congruentia, excitatio non esset necessaria, sine quâ voluntas hominis in statu post lapsum considerata, sibi que naturaliter relicta adeò non est congrua Vocationi Divinæ, ut eidem potius omni modo contranitur, nisi ipsa Vocantis gratia aliquatenus emollita, utiq; hanc etiam plerique tanquam Naturæ suæ minus congruam, vel ab initio statim non degustatam, vel ubi ejus aliquem prægustum senserunt & perceperunt, huic seculo nimium addicti repudient, & quasi impedimentum deliciarum, quas unice sectantur, à se procul remotam esse velint, quotidianâ id ob oculos ponente tristi experientia. Plura autem ibi & alibi habet Pater augustus, tam contra Prædeterminatricem Gratiam & vocationem coactam vel violentam, quàm contra hanc voluntatis humanæ cum Gratia vocante & trahente congruentiam, de quibus proximè contra Bellarminum agetur amplius.

Nunc sequitur secundum ex eodem Augustino argumentum contra prædeterminationem physicam, partim ex citata hætenus non semel ad *Vitalem* Epistolâ, partim ex opere de *Gratia & libero arbitrio* desumptum, ubi iterum non malè Bellarminus argumentatur contra prædeterminatores, minus sufficienter autem à sufficienti efficacem distinguit Gratiam, quasi speciem diversam; quia dum Augustinus testimoniis ex utroque locorum adductis, uti Bellarminus agnoscit, Gratiam adstruit *prævenientem*, quæ faciat nos velle, dictam ideò prævenientem, *quia sine nobis operetur, non naturâ solum, sed etiam tempore, Voluntate nostrâ non ducente vel praviâ, sed comitante demum & pedissequa* Gratiam prævenientis, simul eam facit communem omnibus iis, qui participes fiunt Gratiam prævenientis, id est, credentibus & non credentibus, non verò propriam credentibus tantum, adeoque sufficienter efficacem, quod antè dictum, & efficaciter sufficientem in se, utut à plerisque

contranitentibus sua propria culpa & ex voluntatis vel noluntatis pertinacia repudiatam. Notandumque simul est, quod augustissimus Doctor scribit, *Deum facere ut velimus bonum*, non verò malum; utpotè quæ voluntas, vel potius noluntas mala non est à Deo solius boni authore, sed à Satana & carne per peccatum corrupta, ut alibi demonstratur.

Ad tertium, quod Bellarminus proponit, argumentum ex antecedentibus & sæpè hæcenus ex occasione repetitis patet responsum, quod nimirum omnis Dei gratia, quæ sufficiens dicitur, simul etiam sit efficax, & non possit esse sufficiens, nisi etiam sit efficax; ubi non necessum est, ut pro hujus conjunctionis fundamento substernatur prædeterminatio physica, prout ea à Scholasticis describitur, cum sine hac etiam, uti omnis Gratia efficax est sufficiens, quod Bellarminus largitur, ita etiam versà vice & eodem respectu, dum nullaratio diversitatis potest indicari, omnis Gratia sufficiens sit, & non possit esse nisi efficax.

Restatigitur quartum adhuc argumentum, ea exhibens Augustini loca, quæ Gratia Dei cum voluntate hominis congruentiam videntur commendare; ubi venit expediendum, de quonam genere vel specie congruitatis sanctus Pater scribat, ne quid contra analogiam Fidei, quam viribus cunctis propugnavit, commisisse dicatur. Ex opere autem ad *Simplicianum* duo protulit loca Bellarminus, verum non unius ejusdemque census, sed diversissimi. Prior ipsa Augustini argumentantis verba exhibet, posterior non item sed clarè rejiciens; undè cum aliqua limitatione mens ejus debet accipi. In priore scribit, *non esse volentis, neque currentis*, nimirum hominis, *sed miserentis Dei, qui hoc modo vocavit, qui secuti sunt vocationem, quomodo eis aptum erat*. Magis adhuc dura sunt, quæ sequuntur immediate: *Ad alios autem vocatio pervenit quidem, sed quia talis fuit, qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem potuerunt dici, sed non electi*. Verum si ad antecedentia respiciamus, non difficile erit invenire rationem, per quam hæc poterunt emolliri. Scilicet dixi, esse hæc verba Augustini argumentantis, verum non ex sua, sed aliorum mente & sententia, quod ipse docet contextus, qui ita legitur ibidem: *Non idè dictum est putandum, non volentis &c. quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci, quod volumus, sed idè potius, quia nisi ejus vocatione non volumus*. Pergit & sequentia loco objectionis proponit, *Sed si vocatio ista est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam sequatur vocatus, quomodo verum erit, Multi vocati pauci electi? Quod si verum est, & non consequenter vocationi vocatus obtemperat, atque ut obtemperet, in ejus est positum voluntate, rectè etiam dici potest, Igitur non miserentis DEI, sed volentis atque currentis est hominis; quia Misericordia vocantis non sufficit, nisi obedientia vocati consequatur. An fortè illi, qui modo hoc vocati non consentiunt, possent alio vocati modo accommodare Fidei voluntatem, ut & illud sit verum*. Multi vocati, pauci electi; ut quamvis multi uno vocati sint modo, tamen quia non omnes uno adfecti sunt modo, illi sequantur soli vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minus verum sit, Igitur non volentis &c. Et quæ sequuntur à Bellarmino citata, quasi ab Augustino ad propriam mentem scripta, de quibus tamen integer contextus testatur, fuisse hæc objecta ex aliorum sententia, ut & quæ ibidem porrò sequuntur, quibus adnectit rejectionem ejus sententiæ, quam Bellarminus itidem quasi ipsius Augustini commendavit. Pleniora sunt hæc verba: *Falsum est, si quis dicat, Igitur non miserentis DEI, sed volentis atque currentis est hominis, quia nullus frustra miseretur Deus; cujus autem miseretur, sic cum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*. Ita videt Lector Veritatis studiosus, quam planè alienam Augustino sententiam de congruentia Gratia vocantis cum voluntate humanâ adscripserit Bellarminus, cum in utroque loco Doctor sanctus ex aliorum mente scripserit, in priore quidem sibi ipsi aliorum objectiones proponens, in posteriore autem errores eorum apertissime rejiciens, quod Bellarminum latere neque potuit, neque debuit, si rem hanc seriò voluit agere, & Augustini mentem sincerè, prout justum erat, Lectori proponere, quam in sequentibus etiam verbis ita expressit, ut cum dicta aptitudine & congruentia, qualiter Bellarminus vult intellectum, nihil omninò habeat commune. Indè post aliqua, quæ per Exemplorum inductionem notatu dignissimam interspergit, & quorum superius aliqua mentio est facta, eam

eam format quaestionem, quae simul ipsum in se continet responsum, scribens: *Quod si tanta esse potest obstinatio voluntatis, ut contra omnes vocationis modos obdurescat mentis averfio, quaeritur, utrum de pena divina sit ipsa durities? Cum enim DEVS deserit non se vocando, quo ad fidem modo potest moveri, quis etiam dicat modum, quo ei persuaderetur, ut crederet, omnipotenti etiam defuisse? Ad quae verba Hülsemannus noster in Examine hujus Testimonii contra Bellarminum notat, Augustinum suspendere congruitatem ab omnipotentia DEI, quae tali modo possit vocare, non autem dicere, esse modum peculiarem & ordinarium, quo soli vocentur electi; multò minus, quod congruentia consistat in connaturalitate cum hominis temperamento, quia sic hominis Conversio non esset solius DEI miserentis, quod unice tamen Augustinus intendit evincere in tota hac quaestione, dictam congruitatem expressè restringens ad aptitudinem (vel sufficientem efficaciam) causae effectum producendae, non ad congruentiam cum hominis ingenio. Et de congruitate intelligit verba, quae proximè antecedunt ea, quibus congruitatem Pelagianam Pontificiam quasi falsam damnavit supra, hoc tenore: *Verum est, multi vocati, pauci electi. Ille enim electi, qui congruenter vocatis illi autem, qui non congruebant, neque contemperabant vocationi, non electi, quia non sicuti, quamvis vocati.* Itaque, quae Epicrisi & Hülsemanni, si congruentia quaedam hic est admittenda, erit prima species illa ex tribus, quas commemorat Tannerus, quae dicitur congruitas gratiae divinae cum eventu seu ipsa rei futuritione, & contradistinguitur congruentiae naturali cum hominis ingenio. Ut autem sententia Augustini de toto hoc negotio adhuc magis fiat manifesta, quae, quod fatendum est, videtur in loco non uno intricatior aliquanto & difficilior, juvat adponere ea, quae ipsam exhibent propositae quaestionis decisionem, sequentia: *Sit igitur hoc fixum atque immobile in mente sobria Pietate atque stabili fide, quod nulla est iniquitas apud DEVM, atque ita tenacissime firmissimeque credatur, id ipsum, quod Deus, cuius vult, miseretur, & quem vult, obdurat, hoc est, cuius vult miseretur, & cuius non vult, non miseretur, esse alicujus, occulta atque ab humano modulo investigabilis aequitatis.* Sic etiam supra vidimus Augustinum in hac materia provocantem & ad occulta DEI iudicia, & ad ejus sanctitatem atque Justitiam, quod haecenus contra Bellarminum praeter jam notata potest sufficere.*

Nunc sequitur locus alter ex opere de *Bono Perseverantiae*, quo Bellarminus jactatam à se congruitatem putat se posse suffulcire, ex cuius tamen accurata inspectione iterum constat, Augustinum ibi agere de congruitate non credentibus propria, & quae sit ratio formalis efficaciae illius, per quam homo convertitur, uti vult Bellarminus, sed, quod verba docent satis clarè, de congruitate ingenii etiam non praedestinatis communi, priore omninò remotà & penitus explosa. Patet id exindè, quod in libro antecedente de *Prædestinatione Sanctorum*, qui hujus operis de *Bono Perseverantiae* pars prior est, Pauli verba, *Quid habes, homo, quod non accepisti &c.* explicans, apertissimè contra hujus congruentiae naturalis in opere Conversionis efficaciam scripsit: *In hac Apostoli evidentissima intentione, quae contra humanam lo-* cap. 5.
quitur superbiam, ne quisquam in homine, sed in Domino gloriatur, dona DEI naturalia suspicari, sive ipsam totam perfectamque naturam, qualis in primà conditione est donata, sive naturae vitia & qualescunque reliquias, nimis, quantum existimo, est absurdum. Numquid enim per haec dona, quae omnibus sunt hominibus communia, homines discernuntur ab hominibus? Haec verba valdè emphatica & parallela, id est, ad praesens Institutum omninò pertinentia, & quibus mentem suam sine ullo dubitationis scrupulo ac ambiguitate explicavit Augustinus, si probè ponderasset, & vim eorum, prout hujus Controversiae dignitas requisivit, accuratius considerasset Bellarminus, spero, vix ausus fuisset, Augustinum hujus congruentiae fautorem Patronum laudare, quam utpotè absurdam manifestè rejicit, & locum habere non posse ostendit. Eadem ratio & reliquorum ex aliis Augustini operibus testimoniorum, quibus hanc Gratiae congruitatem Pelagianam adstruere laboravit Bellarminus, quod constare potest ex iis, quae ad quodvis eorum in specie paulò ante sunt notata, hic ob vitandam prolixitatem nimiam non repetenda; quemadmodum satis quoque factum est iis, quorum in responso ad objectionem primam meminimus. Ad secundam dum scripsit, docere Augustinum in Epistola post centesimam sexta, quam ad Bonifacium, vel juxta alios ad Paulinum suo & Alipii nomine exaravit, nos non omninò

omnino causam, in hac re, quod gratia sufficiens non in omnibus sit efficax, ignorare, iterum sancti Doctoris mentem non ritè. Sicut enim ad caput antecedens est ostensum, Augustinum non agnoscere aliquod discrimen reale inter gratiam sufficientem & efficacem: ita, dum juxta Logicorum Canonem ab omnibus communiter receptum, Non entis nullæ sunt adfectiones vel prædicata, neque potuit de hujus differentie causa hominibus vel notâ, vel incognita quidquam statuere. Respexit autem dubia sine Bellarminus sequentia Patris augustissimi verba, quæ circa medium Epistolæ ibidem leguntur: *Hæc in re nimis alta & inscrutabilia sunt Iudicia DEI, & inuestigabiles viæ ejus. Interim teneat homo, non esse iniquitatem apud DEUM, sed quæ equitate cujus vult miseretur, & quem vult obdurat, se tanquam hominem faciatur ignorare.* Quæ verba ultima expressè aliud docent, quam Bellarminus ex Augustini mente proposuit, ut ita non rectè ea videatur sibi posuisse ob oculos, & ad animum revocasse.

Quæ præterea ad objectionem tertiam monuit de convenientia & discrepantia sententiæ Augustini cum opinione primâ, falsis nituntur hypothësis, quarum nullitas non semel hætenus est demonstrata. Verè quidem dicitur, gratiam sufficientem & efficacem, quatenus nimirum in primo consideratur actu, pertinere ad auxilium (rectius dicitur gratia) excitans, non adjuvans; sed uti opinionis primæ defensores gratiam excitantem aliter planè explicant, quam orthodoxi, ita Augustinum non aliam facere gratiam sufficientem aliam, verò efficacem, sæpius jam dictum est. Ita quod attinet discrepantiam, malè opinionis primæ adsertores suspendunt gratiæ efficaciam à voluntate humanâ, sed inde non sequitur necessario, pendere eam ab absolutâ & irresistibili voluntate & vocatione divina. Dum hætenus ex Augustino sufficienter est demonstratum, primam DEI homines vocantis gratiam, quæ aliàs præveniens, incipiens, excitans, præparans dicitur, in se & actu primo non esse insufficientem & inefficacem, sed ex ordine & methodo, quam DEO in convertendo homine visum est observare, sufficienter efficacem & efficaciter sufficientem, adeoque non fidelibus propriam, sed & infidelibus ac gratiam respicientibus communem, quod hic breviter repetendum fuit. Atque id confirmare coactus fuit Bellarminus, ad locum Augustini ex opere de *Civitate DEI*, pro libertate arbitrii ad utrumque à parte adversaria objectum respondens & agnoscens, eandem inspirationis gratiam largiri DEUM & ei, quem prævidit amplexurum, & ei, quem prævidit rejecturum; quamvis quod ipsam arbitrii libertatem attinet, ex Augustino discrimen supra non semel observatum, & posthæc uberius confirmandum, hic quoque locum debeat habere, quod nimirum alia ratio sit in amplectendo, alia in rejiciendo gratiam divinæ inspirationis. Qui enim amplectuntur, id non faciunt ex viribus arbitrii, post lapsum non nisi ad malum naturaliter ducentis & ab omni bono abducentis, sed ex datâ simul & concessa eâ etiam gratia, quâ ipsum velle & posse per Spiritum Sanctum accipit homo vocatus à DEO. Alia autem planè est ratio rejicientium hanc primam vocationis gratiam, utpotè quæ solum & tantum adscribenda prævæ voluntati vel noluntati, atque arbitrii hominis post lapsum corruptissimi non tam libertati, quam servituti, uti in sequentibus porro docebitur ex Augustino.

Et hætenus ad ea responsum est, quæ Bellarminus contra *Prædeterminationem physicam*, ut videri voluit, pro gratiæ fidelibus communicatæ efficacia, in oppositione ejus gratiæ, quam infidelibus sufficientem, non verò efficacem tribuit, ex Augustino præter & contra ejus mentem atque sententiam protulit in medium, unde quid de media, quam vocat, sententia statuendum sit, lectori erudito potest constare. Nunc superest, ut quia de eodem argumento in *recognitionibus* exemplo Augustini mentem suam uberius explicare laboravit Bellarminus, vel potius implicare magis, ejusdem sancti Doctoris autoritate iterum abusus, quo successivè fecerit, brevissimis & quantum fieri potest, perpaucis ostendatur. Omissis nimirum illis, quibus opinionem suam intermediam falso sic dictam incrustare studuit, ut, num magis ad primam, an verò ad secundam, (quarum utramque non ita serio oppugnavit, ut non utrique, quamvis plurimum inter se distent, favere in occulto voluerit videri) magis inclinet, lectori etiam attentissimo non perindè possit esse manifestum, præterquam quod *Gonetum* ordinis Dominici scriptorem supra vidimus Bellarminus

minum ad suas trahentem partes, nobis autem nunc non tam de Bellarmini, quam Augustini sententia sollicitus, quem à diversis quoque distrahi dictum est. Quia vero in iisdem *recognitionibus* varia ex Augustino repetit loca, quorum sensus ex ipso contextu jam est indicatus, ideò de iis tantum restat dicendum, qui primum in hac occurrunt Controversia in antecedentibus nondum explicati. Commodissime autem mox in antecessum occurrit Monitem S. Patris ex libro de *Correctione & Gratia*, quo noluit de diversis vocandi modis ad Conversionem committi iudicium Luto vel homini, præsertim non sufficienter de vocantis voluntate informato, sed Figulo id voluit reservatum, utpote nemini hominum facienti injuriam; quod si observassent plerique Scholasticorum, non in tam diversas & absurdissimas partim opiniones divisi fuissent, scilicet ex unâ parte plus arbitrio voluntatis humanæ in vocationis obedienti susceptione ex altera autem plus gratiæ irresistibili & prædeterminanti adscribentes, ut de iis jam non dicam, qui ipsam renitentiam & oblatæ vocationis repudium voluntati & beneplacito DEI, & sub schemate quidem Justitiæ, videntur adscribere, non sine gravissimâ divinæ bonitatis & sanctitatis læsione.

Sequens locus ex primo *contra duas Pelagianorum Epistolas* libro Bellarmini causam non juvat, sed jugulat, augustissimo Doctore contra gratiam irresistibiliter efficacem docente, *Trahere DEVM homines, non ut, quod fieri non posse existimat, nolentes credant, ad ut volentes fiant ex nolentibus.* Eademque mens est Sancti Patris in opere de *gratia CHRISTI*, præter externam vocationem per ordinarium Ecclesiæ ministerium verbo, quod prædicatur, internam & ineffabilem adscribens suavitatem & efficaciam, quod utrumque tamen, & credentibus, & non credentibus, esse beneficium atque gratiam communem, nec solis fidelibus & electis propriam non semel hæcenus dixit & docuit Augustinus, Bellarmini hic non socius. Quæ ex eodem libro ibidem subjunguntur de Conversione Petri tempore Passionis Christum Præceptorem contra fidem datam abnegantis, huc non pertinent & præter scopum attrahuntur, peculiarem videlicet casum & planè extraordinarium exhibentia, dum nos hic de ordinario Conversionis modo agamus. Subjungit postmodum plura Bellarminus ad suæ opinionis mediæ confirmationem ex eodem Augustini libro de *Gratia CHRISTI* contra Pelagianos scripta, cum suo Doctore Pelagio, uti vult Bellarminus, nullam internam gratiam; sed externam solum doctrinam Scripturarum S. agnoscetes, in quo tamen errore Pelagianorum describendo Bellarminus adversarium sibi habet ex ordine suo *Petavium*, ex Augustino demonstrantem, eos internam quoque gratiam agnovisse, quam inter Cadmæos fratres controversiam nunc meam non facio, ad Augustini sententiam ex instituto ita respiciens tandem, ut nullus dubitem, Lectorem Veritatis studiosum è testimoniorum Augustini à Bellarmino adductorum examine certum esse, sanctum Patrem neque opinioni prædeterminatrici adherere, quod inter alios plures prolixissimè etiam docuit laudatus supra *Petrus à S. Iosepho*, neque Bellarmini hypothesebus de gratia efficaci à sufficienti distinctâ & electis tantum propria, quodque insuper accedit congruè favere, sed verè mediam fovere de gratia in se & sufficienti & efficaci, omnibusque vocatis communi, utur effectus ratione propter plerorumque pertinacem renitentiam, & in fidei salvificæ publicæ ac sinceræ confessione inconstantiam inæquali, eamque diversitatem non defectui gratiæ vocantis aut voluntatis DEI erga quosvis benignæ, sed contumaciæ reprobatorum gratia ulteriori se indignos facientium adscribi debere, sicuti è contrario voluntatis humanæ ad vocationis susceptionem inclinatio in solidum gratiæ DEI est attribuenda. Possent quidem hæc ex aliorum Bellarmini sociorum scriptis uberius demonstrari, & quod ante jam ex occasione datâ insinuavi, prolixissimè ostendi, post inoram à *lanseno* in hoc etiam capite controversiam accuratius à non uno in Augustini mentem factam fuisse inquisitionem, id quod præter citatum modò *Petavium* suo quoque exemplo fecit manifestum *Suarezius*, non planè nihil eorum ad Augustini sententiam retractans in opere *posthumo* de verâ Auxilii vel gratiæ efficaci intelligentia & ejus concordia cum arbitrio hominis libero, quæ antehæc securius in aliis de eodem argumento scriptis non semel tradiderat, hoc ipso docens, posteriores ut plurimum cogitationes, si nimirum ansa etiam ab adversariis præbita accuratius suscipiatur Quæstionis scrutinium, esse prioribus meliores & ad veritatis trutinam exactiores, quod utinam in hac & aliis omnibus Controversiis fidei porro obser-

Theol.
Dogm.
Tom. III.
pag. 638.
& 699.

de Gratia
Disput. 7.
pag. 329.
& 367.

3 q2

observaretur, nec quisquam turpe sibi duceret, errore per cujusvis manductio-
nem seposito agnitæ veritati manum præbere, & errasse se; quæ decet ingenitæ,
etiam publicè fateri & agnoscere; sed quia Bellarminus satis diu nos detinuit, cujus
argumentis ex Augustino satis debuit fieri, Lector ulterius non est detinendus, si hoc
unum indicetur, quæ ad Augustini sententiam uberius illustrandam in hoc argu-
mento videntur pertinere, ab aliis prolixè præstitum esse, post *Chemitium* videlicet
nostrum & *Gerhardum*, quorum labores etiam non nominati semper hic intelli-
guntur, nominatim à *D. Mieralio* contra reformatos, hæc in puncto prædetermina-
tionis, ut supra observatum, adædentes, à *D. Calovio* contra Syncretistas Augustinum
ab Evangelicorum sententia separantes, à *D. Dortheo* contra Jansenium, Augustini au-
thoritate hic non semel abutentem, ut plures nunc taceam, qui id non ex professo, nec
tam prolixè egerunt laudati in præsens possint sufficere ad eximendum omnem de du-
bia Augustini sententia scrupulum, ejusque orthodoxiam in hæc etiam questione de-
fendendam.

CAPUT DECIMUM & QUARTUM,

De

Gratia operante & cooperante.

POset quidem hoc Caput prætermitti propter ea, quæ de hæc gratia superius ex
Hülsemanno ad Augustini mentem contra Bellarminum circa singulas gratiarum
divisiones fuerunt observata, nisi in ejus explicatione falsam Evangelicis, impertinenter
eosdem Calvinianis jungens, & erroneam imputaret sententiam Bellarminus, &
in diversione hujus gratiæ illustranda insigniter impingeret utrobique iterum pro
more Augustini abusus auctoritate, cujus mentem non ritè capiens, à reliquis
quibusdam Semipelagianismi occupatis, ad suam violenter detorsit hypo-
thesin, ut nunc statim docebitur. Et quidem à principio statim hanc inter partes
quæstionem, quam non levem esse dicit, peperisse monet obscuritatem verborum
non solum Augustini, à quo hanc gratiæ partitionem acceperint Theologi, sed A-
postoli etiam Pauli, unde Augustinus eam acceperit. Hujus verba proponit se-
quentia, *DEVS est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bonâ voluntate sua.*
Illi autem hoc Apostoli testimonium explicantia hoc tenore: *ipse, ut velimus, o-*
peratur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Et mox, *ut velimus, sine no-*
bis operatur; cum autem volumus, & sicut volumus, ut faciamus, nobiscum coope-
ratur. Post tres diversas Scholasticorum de hæc partitione gratiæ Paulino-Augustini-
anâ sententias, de quibus singulis suum interposuit judicium, eas à mente utrius-
que alienas esse laborans ostendere, quod discutere præsentis Instituti ratio non per-
mittit, quid ipse statuatur, sequentibus exponit verbis: *Dicendum est, gratiam ope-*
rantem illam esse, quæ efficit in homine primum deliberatæ voluntatis actum, qua-
lis est Conversio sive ab infidelitate ad fidem, sive à cæteris peccatis ad penitentiam;
Gratiam verò cooperantem esse illam, quæ efficit actus voluntatis consequentes,
quos continuo sequuntur actus externi, ita ut gratia operans nihil sit aliud, nisi au-
xilium efficax speciale respectu primi actus voluntatis, gratia verò cooperans sit auxi-
lium speciale respectu actuum sequentium. *Exposita sic sententia pergit, Quæstio*
est, eaque non levis, quomodo sit intelligendum, quod Augustinus ait, primum
deliberatæ voluntatis actum fieri sine nobis. Quomodo enim fit sine nobis, quod
nostrâ deliberatione liberâ & electione efficitur? Neque enim audiendi sunt Lu-
therani & Calvinistæ, qui contendunt, actus bonos internos ita fieri sine nobis, ut
non sint actus liberi arbitrii, neque nos propriè faciamus, sed immisos à DEO ne-
cessario recipiamus. Neque dubitari potest, quin ista eorum sententia à mente Au-
gustini, de cujus verbis nunc laboramus, sit alienissima. Nam primo ad Simpli-
*cianum libro inquit, *Ut velimus, & suum esse voluit, & nostrum; suum vocando,**
nostrum sequendo. Et secundo contra duas Pelagianorum Epistolas scribit, *Homō*
præparat cor, non tamen sine adiutorio DEI, qui tangit car. Et paulò post, *Quam-*
vis nisi adjuvante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, os ta-
men

Philipp. II.
de Grat. &
lib. Arb.
cap. 17.

Quest. II
cap. 8.

men aperimus adjumento illius & opere nostro. Nam quid est preparare cor, & os aperire, nisi voluntatem parare. Item alibi, *Credenti in eum, qui justificat impium, depuratur fides ejus ad justitiam. In hoc opere facimus opera CHRISTI, quia & ipsum credere in CHRISTUM opus est CHRISTI. Hoc operatur in nobis, non tamen sine nobis.* Item in eodem loco, *Operanti in se CHRISTO cooperatur homo ad salutem æternam ac Iustificationem suam.* Bellarminus subjungit, *Non igitur dubitari potest, quia Augustinus nihil commune habuerit cum sententia hæreticorum, qui nos passivè tantum concurrere existimant ad actus Pietatis internos.* Cæterùm si hæc ita se habent quæstio proposita magis jam implicata videtur. Nam ex eodem Augustino audivimus, ipsura, ut velimus, DEUM operari sine nobis, & non operari sine nobis; DEUM solum id operari, & nos ei cooperari, & alia, quæ pugnancia videntur esse. Igitur, *Inquit Bellarminus, observandum est, DEUM secundum quoddam genus causæ esse moventem respectu ipsius velle deliberati, & voluntatem non esse moventem, sed tantum motam, cum tamen secundum aliud causæ genus ad eundem actum volendi producendum DEUS concurrat ut movens, voluntas autem tum ut mota, tum ut movens; & idèò utrumque verum esse, DEUM operari ipsum velle deliberatum sine nobis, & non operari sine nobis.* Nam si consideremus causam efficientem & physicam illius actus, ea non solum est DEUS per auxilium speciale, sed voluntas etiam per arbitrium liberum; & hoc modo illud velle est DEI & nostrum, & nos in eo cooperamur DEO, & DEUS illud operatur non sine nobis, ut Augustinus loquitur in locis paulò ante contra hæreticos adductis. At si consideremus causam illius ejusdemque actus moralem, id est, causam moventem suadendo, hortando, consulendo, ea solus est DEUS; voluntas autem secundum hoc causæ genus non est movens, sed mota tantum. Non enim ipsa se voluntas impellit suadendo & hortando, ut velit, quod non vult, sed DEUS per inspirationes suas intus animæ loquens ei suadet & persuadet, ut velit. Hæc est igitur gratia operans, quæ prævenit conatum & industriam nostram, & operatur, ut velimus, quod antea volebamus, sine nobis operantibus, ut velimus, non tamen sine nobis liberè consentientibus, dum volumus. Atque hinc intelligimus, cur ad primum voluntatis actum requiratur gratia tantum operans, ad reliquas autem operans non sit necessaria, sed cooperans. Nam postquam cœpimus velle converti ad DEUM, jam nos ipsi non tantum per arbitrium liberum producimus DEO juvante reliquos actus, sed etiam nos incitamus & impellimus DEO cooperante ad eos. *Et ubi hæc corporali, ut vocat, similitudine studuit illustrare, scribit porro: Hanc esse veram hujus distinctionis explicationem, ex ipso colligi potest Augustino; nam in libro de Gratia & libero arbitrio sic inquit: Ut Apostolus Paulus de Cælo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia DEI cap. 5. erat sola, quia merita ejus erant magna, sed mala. Ubi soli gratia tribuitur, notat Bellarminus, conversio beati Pauli, ac per hoc fuit illa gratia operans, non quia Paulus, non concurreret liberè consentiendo, & per arbitrium liberum conversionis actum illum activè producendo, sed quia merita ejus erant magna, sed mala, id est, quia ante Conversionem non præcesserat ullum meritum sive studium aut conatus ad conversionem. Solet enim Augustinus meritum, appellare actum quemlibet bonum, ratione cujus aliquid aliud accipimus, ut perspicuum est ex Epistola post centesimam quintâ & sextâ, ubi dicit, *solam fidem dari sine ullo precedente merito, quia eam nullus actus bonus præcedit; Remissionem vero peccatorum non dari sine merito, quia fides orando meretur illam.* Itaque in libro de gratia & libero Arbitrio inquit, *Fides & cap. 14. non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur.* Et paulò ante dixerat, *se fidem appellare voluntatem credendi.* Itaque gratia operans est, quæ facit nos velle credere, quia id in nobis fit sine nobis petentibus, ac multò minus nobis laborantibus & conantibus; gratia cooperans est, quæ facit nos velle orare, jejunare, Eleemosynas dare & Sacramenta inquirere, quia id non fit nisi conatu atq; industria nostrâ cooperante. Hinc idem Augustinus in eodem libro, verbis ab initio citatis, non dicit, DEUM operari velle nostrum sine nobis, sed operari, ut velimus, sine nobis; nos enim cooperamur Deo volendo, id est, liberè producendo actum volendi, sed non cooperamur faciendo, ut velimus, quia non ipsi nos movemus & incitamus ad volendum, sed ipse solus inspiratione internâ nos movet ac impellit. Tandem post tentatam hujus expositionis cum sententia Thomæ Aquinatis conciliationem ita finit hanc Quæstionem, *Cum Augustinus scribit, DEUM**

DEUM operari in nobis, ut velimus, cooperari autem, cum ita volumus, ut faciamus; per illud, *faciamus*, non est accipienda actio tantum externa, sed etiam opus internum, ut oratio, contritio &c.

Hactenus iterum Bellarminus, mala bonis immiscens, adeoque sine censura non dimittendus. Notari autem debet iteratò in genere, hanc, uti ceteras gratiæ divisiones, non duplicem constituere gratiam, quemadmodum neque duplex DEUS est, unus incipiens in nobis opus bonum, alter perficiens, sed unum esse DEUM & unam unius DEI gratiam & incipientem & perficientem, quod præter alia complura illud etiam Apostoli testimonium docet, & ex eâ autoritas Augustini, cui utrique cur Bellarminus adscribat obscuritatem, quæ non levem inter partes controversiam pepererit, non video, cum & verba Pauli satis clara sint, & Augustini explicatio omni careat difficultate, si absque præjudicio & occupatione mentis ponderentur. Estque illud etiam non sine debita animadversione prætermittendum, quod Bellarminus scripsit & falsus est, Theologos hanc gratiæ partitionem ab Augustino accepisse, quam ab ipsomet Paulo debebant accipere; methodo nimirum inverisimilissimâ, quâ Patrum scriptura Biblicæ lectioni à Theologis sic dictis præponuntur. Ad eò autem hæc Pauli, & post eum Doctoris augusti verba ad præsens Institutum pertinentia non sunt obscura, ut potius manifestissimè Controversiam inter partes adversas simul & diversas videantur dirimere, & quid de utraq; gratia sit statuendum, sine verborum ambiguitate sufficienter indicare, videlicet, *DEVM pro bonâ voluntate suâ, nimirum non duplici, sed unâ eademque, in hominibus, quos vocat per verbum, operari & ipsum velle, &c.*, ubi velle per contumaciam voluntatis, vel potius noluntatis humanæ non impeditur, quia, quod iteratò hic venit notandum, DEUS in ordinaria hominum vocatione non agit ex viribus omnipotentis, *ipsum in isleem perficere*; ibi operatione omninò solitaria omni excluso concursu virium liberi in hominibus arbitrii; hic autem hominis arbitrio per primam hanc gratiæ operationem à peccati servitute jam liberato ad effectus gratiæ demonstrandos eatenus concurrente, quatenus vires accepit cælitus, sicut in ipso Conversionis principio & velle converti non ex naturâ voluntatis humanæ post lapsum depravatæ suum trahit ortum, sed à sola DEI vocantis & convertentis gratia provenit, distinctione inter ipsam hominis voluntatem ad bonum Conversionis inclinantem, & inter voluntatis ad bonum Conversionis inclinantis causam hic semper observandâ, ne quidquam concursus humani in Conversionis & Justifications actu habeat locum, qui ad solam DEI gratiam debet referri. Et quamvis non omne discrimen gratiæ *operantis & cooperantis* sublatur velint Evangelicî propter diversa nimirum prædicata, quæ eidem adscribuntur, diversitas tamen hæc non debet considerari specificè, ita ut aliam speciè gratiam statuamus operantem, aliam verò cooperantem, ex & in se diversam, sed tantum ob effectus diversi in uno etiam eodemque subjecto rationem, eò nimirum sensu, quo supra dictum est differre aliquâ ratione gratiam *prævenientem & subsequenter*, vel gratiam *excitantem & adjuvantem*, ut alias jam gratiarum differentias non attendam. Augustini verò mentem ut ritè perspiciamus, opus est omninò, ut ea addantur verba, quæ Bellarminus omisit, & tamen quam maximè huc pertinentia: *Sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona Pietatis opera nihil valeamus.* Dixi autem non sine causâ Bellarminum mala bonis immiscere. Ad illa pertinet, quod gratiam non modò cooperantem sed operantem quoque huic contradistinctam, id est, prævenientem & excitantem vocat *auxilium & speciale* quidem. Vocabulo *auxilii* utitur, ut ex sententia Semipelagianorum humanæ etiam voluntati aliquid attribuat (eiusdemque voluntati liberæ; *specialis* verò ut gratiam hanc operantem & efficacem in fidelibus distinguat à gratia *sufficienti*, quæ sine efficacia concedatur infidelibus, contra quem errorem ex Augustino ad caput antecedens est actum. Gravem præterea injuriam infert *Evangelico-Lutheranis*, eos Calviniano-Reformatis in hoc capite Doctrinæ jungens, à quibus tamen gratiam credentibus collatam omninò irresistibilem defendentibus quam maximè dissentiant, ut non solum ex privatorum scriptis, sed libris etiam utrinque Symbolicis constat apertissimè. Nec quidquam sententia Evangelicorum contrariatur iis, quæ Bellarminus ex Augustini scriptis non unis adduxit. Et primò non iis, quæ ex opere ad *Simplicianum* sibi putavit inservire, modò addidisset ea, quæ ipsomet Augustinus ad senten-

sententiæ suæ uberiorem illustrationem immediatè subiecit: *Quod voluerimus, solus præstat.* Ita nimirum intellexit, quod paulò ante scripserat, *nostrum esse sequendo*, id est, non repugnando, quæ ipsa non repugnantia DEO adscribitur, uti repugnantia è contrario ab homine est, videlicet per peccatum depravato, & ad omne bonum, quod verè boni rationem habeat, eligendum inidoneo & inepto. Deinde quæ ex secundo contra *duas Pelagianorum Epistolas* libro excerptis Bellarminus, amplioribus verbis ipsius Augustini sunt explicanda, quibus classicum Regii Parcemiastis locum contra liberi arbitrii fautores ita vindicavit: *Nimirum, quod scriptum est, Homini est præparare cor, & à Domino est responsio linguæ, non benè intelligendo falluntur, ut existiment, cor præparare, hoc est, bonum inchoare sine adjutorio Gratia DEI ad hominem pertinere. Absit, ut sic intelligant filii promissionis, tanquam cum audierint Dominum dicentem, sine me nihil potestis facere, quasi convincant eum dicentes, Ecce, sine te possumus cor præparare; aut cum audierint ab Apostolo Paulo, Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra est ex DEO, tanquam & ipsum convincant dicentes, Ecce, idonei sumus ex nobismet ipsis præparare cor, ac per hoc & aliquid boni cogitare. Quis enim potest bonâ cogitatione ad bonum cor præparare? Absit, ut sic intelligant, nisi superbi arbitrii sui defensores, & Fidei Catholica defectores. Idè quippè scriptum est, Homini est præparare cor, & à Domino est responsio linguæ; quia homo præparat cor, non tamen sine adjutorio DEI, qui tangit cor.* Ultima hæc Augustini verba uti Bellarminus in suam rem fore existimavit ad demonstrandum gratiæ operantis & cooperantis discrimen, eo videlicet sensu quo suprà gratiam sufficientem ab efficaci distinxit; ita si ejusdem sancti Doctoris autecedentia contulisset, facilè se extricare potuisset, observaturus, Augustinum Patrem nil aliud docuisse, quàm hodie ab Evangelicis cum Calvinianis nullatenus hic consentientibus docetur publicè. Videlicet, ostendit Augustinus, quàm impertinenter *arbitrii sui defensores superbi*, uti Pelagianos vocat, & *Catholica fidei defectores*, verba Salomonis de præparatione cordis humani trahant ad errorem suum, aliter quàm intelligant *filii promissionis*, nimirum in Conversione sua nihil omninò sibi propriisque viribus omnia autem in solum soli gratiæ DEI adscribentes. Et nisi id fiat, CHRISTI Salvatoris ad Apostolos verba, *Sine me nihil potestis &c.* dicit per eorundem Pelagianorum jactantiam annullari & annihilari, quæ alibi ex professo sequentibus explicavit: *Ne quisquam putaret, saltem parvum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum dixisset, hic fert fructum multum, non ait, quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere. Addit, sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest. sine quo nihil fieri potest; quia & si parum attulerit palmas, cum purgat agricola, ut plus adferat, tamen, nisi in vite manserit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à semetipso non potest ferre.*

Prov. 16.

Joh. 15.

2. Cor. 3.

Tract. 81.
in Joh.

Undè simul patet, hunc CHRISTI sermonem ex Augustini etiam sententia intelligendum esse non tam de gratia primum operante, prout contradistinguitur gratiæ cooperanti, & eodem sensu venit, quo gratia præveniens & excitans, quàm de gratia post hominis conversionem cooperante, subsequente & conatus pios adjuvante, quod ex antedictis potest constare. Atque sic etiam applicavit sanctus Pater Apostoli verba de idoneitate ad cogitationes etiam pias negatâ, quæ aliàs, si antecedentia & consequentia integri Textus Apostolici ponderentur, non ad opus Conversionis, sed Ecclesiæ Ministerium sunt directâ; hinc quoad sensum literalem à scriptore sancto intentum ac scopum ejus primarium huc, nisi per applicationem cum fidei analogia minimè pugnantem non pertinent. Cætera Augustini verba ex eodem contra Pelagianos opere à Bellarmino adducta de oris apertione nobis iterum favent. Si enim naturaliter os non possumus aperire, *nisi adjuvante illo, sine quo nihil possumus*, quomodo spiritualiter oculos aperiemus ad videndum Justitiæ solem, qui post lapsum sumus omninò cæci & mortui in peccatis? Et si enim post dicimur activo sensu credere, id est, oculis fidei CHRISTUM intueri, ejus Meritum & satisfactionem cum passione manibus fidei adprehendere; illa tamen actio fidei non ortum habet ex arbitrii nostri viribus post lapsum residuis, sed tantum est ex gratia DEI, lumen fidei in cordibus nostris per verbum & Sacramenta adcurrentis, conservantis, confortantis & augentis, diciturque ex Augustini mente & verè quidem *opus nostrum,*

M m m m

nostrum,

nostrum, quia in nobis id operatur DEUS, & impediri posset à nobis, si per arbitrii lapsu omnimodam depravationem resistere vellemus. Indè idem Doctor augustissimus laudato antè in Johannem opere verbis itidem à Bellarmino citatis notanter scripsit, *operari CHRISTVM in nobis fidem, utique non sine nobis*, subjectivè nimirum, non efficienter, quia fides non est ex nobis, sed à DEO, donum videlicet soli gratiæ ejus adscribendum mente gratà & devotà. Quæ ibidem sequuntur de cooperatione ad salutem, ad quæ hic etiam provocat Bellarminus, esse cum grano satis intelligenda, Augustinus agnovit ipse, explicans alia Christi verba, de quibus apud interpretes non una est eademque mens & sententia, Sunt autem sequentia, *qui credit in me, opera, quæ ego facio, ipse faciet*. Augustinus hanc adponit paraphrasin: *Præus ego facio, deinde & ipse faciet, quia facio, ut faciat*. Quæ (autem) opera, nisi ut ex impio fiat justus? Et majora horum faciet? Quorum obsecro? Numquid nam omnium CHRISTI operum majora facit, quia cum timore & tremore suam ipsius salutem operatur? Et post aliqua repetit hanc quæstionem sanctus Doctor, *Numquid his etiam operibus majora facit, qui operante in se CHRISTO cooperatur æternam salutem ac justificationem suam?* Quæ hic iterata interrogatione proposuit Augustinus, quasi categoricè ea pronuntiasset, lectori persuasum voluit Bellarminus. Verùm si addantur ea, quæ proximè loco responsi subjungit Pater augustus, & hic non dissentire ab Evangelicis erit manifestum. Ita autem immediatè subjungit, *Non hic audio precipitare sententiam. Intellegat, qui potest, judicet, qui potest, utrum majus sit, justos creare, quàm impios justificare? Certè enim si æqualis est utrumque potentia, hoc majus est Misericordia*. Perpendat hæc lector attentus & judicet, an hæc Augustini sententia quidquam præjudicii adferat sententiæ Evangelicorum, quam Bellarminus utut non ritè expressam, & fortè non satis intellectam, adeoque imprudenter simul & impudenter sumit oppugnandam. De explicatione quidem verborum Christi, quoad opera fidelium operibus Christi majora, nunc dicere non attinet, dum eam, quam Augustinus hic proposuit, & exindè Bellarminus contra Evangelicorum doctrinam quasi contrariam Augustino argumentatus est, inter alios *Alphonfus Salmero*, Thomæ Aquinati eandem adscribens, *piam dicit quidem & spectantem ad sensum mysticum, quin & adificare charitatem, sed ad rem non facere statuit, cum ad literam Sermo sit de operibus signorum*, quod *Barradius* etiam agnovit. Quod verò iteratà vice scribit Augustinus, *credentem in Christum cum timore & tremore suam ipsius salutem operari, & operante in se CHRISTO cooperari æternam salutem & justificationem suam*, præter id, quod modo est observatum, hæc verba non definitivè, sed loco alicujus objectionis ab Augustino esse proposita, nec adfirmativè eum respondisse vel respondere ausum fuisse, relinquendo decisionem quasi in suspensio; posito autem, cum his expressisse mentem suam, usumque sententia Apostoli, de quâ inferius ad Controversiam de *Certitudine fidei & salutis æternæ* erit agendum, certum est tamen ex integro verborum textu, non egisse ipsum de statu hominis vel ante fidem, vel in actu Conversionis considerato, sed de homine in Christum credente, cui in exercitio fidei aliquam ex viribus quidem non propriis & post lapsum naturalibus, sed per primam gratiæ collationem concessis adscribi cooperationem cum gratia DEI adjuvante & perficiente, ab Evangelicis è scripturâ informati non vocatur in dubium. Quomodo autem hæc cooperatio ad salutem & Justificationem, (videlicet, non eam, quâ hic per imputationem Justitiæ Christi homo dicitur & est verè justus, ad quem sensum accedit inchoata renovatio Justitiæ vel novæ, ut vocatur, obedientiæ in hæc mortali vitâ adhuc imperfectæ, sed quâ depositis omnibus peccati reliquiis, etiam post ipsam Justificationis gratiam adhærentibus, in Statu gloriæ erit sine omni maculâ & perfectè justus atque sanctus) debet ad fidei analogiam intelligi, itidem infra suo docetur loco.

Nunc ad Bellarminum, & cum eo ad Augustinum est revertendum. Patet nimirum ex hæcenus dictis, quam malè & quantâ cum injuria scripserit Bellarminus, *Augustinum nihil commune cum sententiâ hæreticorum habere*, (Evangelicos promiscuè cum Calvinianis numero hæreticorum adscribens) qui nos passivè tantum concurrere existiment ad actus Pietatis internos; dum non semel ex occasione ostensum est atque iteratò inculcatum, aliter loquendum esse de homine ante Conversionem & in ipso Conversionis actu, aliter de eo post Conversionem, quate-

Tom. IX.
Tract. 57.
P. 405.

Tom. IV.
lib. 4. c. 2.
P. 127.

Quatenus jam est credens in CHRISTUM, Fidem, quam accepit ut singulare donum gratiæ cœlestis, per opera tanquam fructus, cooperando cum gratia DEI adjuvante & perficiente, ostendens in se esse veram, non verò mortuam vel hypocriticam & simulatam, quod Bellarminus ex scriptis Evangelicorum publicis & Symbolicis ignorare nec potuit nec debuit, eorum sententiam impugnaturus & refutaturus. Neque hæc Quæstio, prout eam Augustinus proponit, ita est *implicita*, uti videtur Bellarmino, præjudicii videlicet Pelagianis ita occupato, ut veritatem ab Augustino ex autoritate Pauli fortiter contra eorundem oppositiones erroneas propugnatam capere nequiverit & intelligere, etsi perspicue satis propositam.

Quia verò in observatione subjuncta, quod supra quoque notatum fuit, iterum veris & concessis falsa & erronea immiscet, ideo ad debitam cautionem hæc porro sunt indicanda. Ipsa quidem distinctio inter causam *naturalem & moralem*, vel physicam & ethicam, quâ Bellarminus hic utitur, non omnino rejicitur, & potest suum habere locum; sed à Bellarmino hic minus bene applicatur, dum gratiæ DEI in actu Conversionis operanti sine nobis adscribit ethicam tantummodo & moralem, operanti autem, rectius & juxta hypotheses suas adcommodatius scripsisset, *cooperanti* cum nobis & voluntate nostra, non mota solum, sed movente etiam, *naturalem & physicam*; quod certè ad Semipelagianismum satis manifestè sternit viam, hominis voluntati in actu Conversionis tanquam *causa partiali* aliquid adscribendo; quod ex mente Pauli & Augustini non nisi gratiæ soli & quidem operanti, incipienti, excitanti debet jure meritoque adscribi, quam postea motus gratiæ cooperant; adjuvantis; perficientis in homine jam converso, atque in CHRISTUM credente, viresque voluntati à servitio peccati liberatæ collatas ad opera Pietatis mandata ac exercitia christianismi conferente; hocque modo cooperante & actualiter concurrente sequuntur, ita ut ab agente DEO & homine opus unum producat, quamvis, si retrogrediamur ad causam primariam, sine quâ ejusve concursu gratioso nihil omnino potest agere secunda, fateri cogamur, quidquid etiam post Conversionem boni à nobis agitur, id, si defectus & imperfectiones, quarum respectu nullum opus perfectè bonum nobis possumus adscribere, separemus & removeamus, DEO id nos debere, non nobis, à gratia nimirum ad hunc concursum motis, in quibus nihil planè est super post lapsum, quam resistere & contrariari, si ex viribus arbitrii velimus agere. Utigitur rectè Bellarminus scribit, describens gratiam operantem; *quæ præveniat conatum nostrum & industriam, & operetur, ut velimus, quod volebamus, sine nobis operantibus*; ita non planè nullâ opus habet correctione; dum addit; *non tamen sine nobis libere consentientibus, dum volumus*. Repetendum est enim, illam quoque consensus libertatem non esse ex viribus propriis & naturalibus; verum Divinitus collatis & supernaturalibus, sine quibus non nisi dissentire possumus & operanti gratiæ DEI omni modo resistere ac reluctari. Absurdum quoque est, quod Bellarminus addit, *ad primum voluntatis actum requiri gratiam tantum operantem; ad reliquos autem gratiam operantem non esse necessariam, sed cooperantem*; quasi hæc excludat illam, & non potius simul includat. Pelagianismum insuper sapit sequens illatio Bellarmini scribentis, postquam capimus *velle converti ad DEUM; jam nos ipsi non tantum per Arbitrium liberum producimus DEO judante reliquos actus; sed etiam nos incitamus & impellimus DEO cooperante ad eos*; si nimirum hos actus referat, uti videtur, ad eos actus Conversionis, qui ipsam velle converti sequuntur. Id autem, ne cum aliqua Bellarmini injuriâ & sententiæ ejus indebitâ perversione videatur dictum, ex illâ *similitudine corporali*, ut vocat ipse, constat, quâ totum hoc negotium exemplo navigatoris in orientem illustrare studuit, utut impertinentissime & contra apertam Augustini mentem, quam sibi putavit consonam & Evangelicis è contrario adversariam. Nam quod ex ante dictis hic necessario adhuc semel venit repetendum, ut ostendatur hujus similitudinis ad præsens Institutum dissimilitudo & incongruitas, quemadmodum iter facturo ob non unas difficultates ad id suscipiendum invito & omni modo renitenti; certis quibusdam rationibus & argumentis persuadentibus jucundum id potest reddi ac facillimum, ut prompto suscipiam animo & ex nutu perficiat cum adplausu & congratulatione amicorum, eo pro

causâ morali habito vel habendo & itineris & emolumentum inde provenientis, cujus suavis susceptum & perfectum est; ita hæc *moralis causa* nullo planè modo potest in actu Conversionis sufficere, voluntate hominis post lapsum à DEO averſi nunquam consensurâ, si res hæc solis ageretur persuasionibus & non simul adcederet efficax ejusdem ad ipsam Conversionem motio, per quam voluntas vertitur in voluntatem, & ita movetur, ut qui antea noluit, post primam hujus gratiæ conversionis collationem velit, & quæ Conversionis media olim repudiavit, postmodum ambabus, quod ajunt, manibus adprehendat ad sanitatem restituendam necessaria, pedibusque eat in sententiam DEI de se curando & currat ad Medicum, quem agnito per legem morbo in Evangelii speculo propitium sibi intuetur ac benevolum, sibi que patitur omnibus destituito viribus fieri benè nihil agens vel cooperans, sed tantum oblatam ex indebito gratiam non rejiciens, eamque ipſo actu in se operantem non impediens, quod unum & solum homini post lapsum superesse Evangelici fatentur & agnoscunt. Atque hanc esse non Evangelicorum modò, sed Augustini quoque sententiam, ex eodem ejus opere de *Gratia & libero Arbitrio* constat, undè Bellarminus primum pro gratiæ operantis & cooperantis differentia mutuo accepit testimonium, verbis paulò antecedentibus ita habentibus: *Certum est, nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus.* Quomodo autem? an influxu tantum morali? num per solas suasiones, uti vult & urget Bellarminus in *similitudine*, uti vocat verissimè & propriissimè, *corporali*, hic certè dissimillimâ? Non certè, sed uti Augustinus optime se explicat, *prebendo vires efficacissimas voluntati.* Indè idem Augustinus alibi, in opere nimirum de *Prædestinatione Sanctorum*, quod in libris suis retractandis occupatus scripserat, inter ea, quæ de hæc Quæstione ante-quàm ad Episcopatum scripserat nondum sufficienter informatus, hunc quoque numerat loquendi modum, quod arbitrabatur, *predicato nobis Evangelico consentire nostrum esse proprium, & esse ex nobis;* sicuti in eo etiam se agnovit erravisse, quod putavit, *Fidem, quâ in DEVM credimus, non esse DEI donum, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare DEI dona, quibus temperanter, & justè, & pie vivamus in hoc seculo.* Huc etiam debet referri, quod in alio contra Pelagianos opere de *Naturâ & Gratia* de hæc Quæstione scripsit: *Quid de natura possibilitate presumitur? Vulnerata, sauciata, vexata, perdita est. Verâ confessione, non falsa defensione habet opus. Gratia ergò DEI queratur, non quâ instituat, sed quâ restituat.*

Quæ verba notatu dignissima & emphatica valdè Tractationi secutura de libero, vel servo potius post lapsum hominis arbitrio hic præmittuntur, ut sententiæ Lutheri, imò non Lutheri, sed Spiritus Sancti autoritate Augustini illustrandæ via paretur. Ea inter ad cætera est progrediendum, quæ Bellarminus porò ad suæ hypotheseos defensionem profert ex Augustino. Ubi iterum debet notari, exemplum Sauli *efficacissimâ vocatione* uti loquitur Augustinus, converti, cujus repertum ex opere de *Gratia & libero Arbitrio* facit mentionem Bellarminus, hoc omnino non quadrare, utpotè dum hic agimus de gratiæ Conversionis ordinariâ; Paulum verò extra ordinem fuisse vocatum, & intercedente singulari Miraculo convertum, præter ipsum hoc testimonium ex aliis Augustini locis supra fuit demonstratum. Præterea, quod urget Bellarminus ex Augustino, etsi itidem impertinenter huc trahatur, vocari ab eo *meritum* quemlibet actum bonum, *ratione cujus aliud quid accipimus*, ostenditur infra, quorsum inservire id possit contra Bellarminum. Nunc locorum aliqua est ratio habenda, ex quibus hanc Augustini sententiam conatus est contra semet ipsum exprimere. Prior est ex Epistola post centesimam quintam, sub cujus initium sequentia leguntur contra Pelagianos, & qui illorum vestigiis insistent: *Quod putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam voluntatem bonam sine adjutorio DEI hominem habere consenserint, non intelligunt, non firmare humanum arbitrium, sed impellere, ut per inania feratur, & non in Domino tanquam in petra stabili collocetur; paratur enim voluntas à Domino.* Noceat hæc omnes & singuli hyperaspitæ Bellarmini, & juxta hoc gravissimum Augustini monitum caveant sibi, ne liberum, quod opere tanto urgent, arbitrium à gratiæ Petra submotorum præsentissimo ruinæ periculo exponant. Posthæc progreditur sanctus Doctor ad eam Pelagianorum objectionem, per quam justis merita videbantur

bantur abrogari : *Nullane igitur sunt merita justorum ? Respondet Augustinus, Sunt planè, quia sunt iusti; sed ut iusti fierent, merita non fuerunt. Iusti enim facti sunt, cum iustificati sunt. Quid autem per merita velit intellectum, docet in sequentibus, ad aliam Pelagianorum respondens objectionem : Possunt quidem dicere, remissionem peccatorum esse gratiam, qua nullus precedentibus meritis datur; quid enim habere boni meriti possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, quò fide dicebat ille, DEUS, propitius esto mihi peccatori &c. Restat igitur, ut ipsam fidem, unde omnis iustitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis precedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona, quæcumque sunt merita, sed gratuitum DEI donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, meritis cogitamus.*

Aliqua hic leguntur hypothefi Bellarminianæ adversaria. *Primo loquitur in personam Pelagianorum, quos sententiam antehac circa vires Arbitrii liberiorum aliqua ratione emollientes introducit. Deinde distinguit inter remissionem peccatorum, quam homo accipit à DEO sub initium suæ Conversionis, & inter eam, quam conversus jam & credens in CHRISTUM ob quotidianas transgressiones, quæ alias & communiter venialia dicuntur peccata, oratione Dominicâ intercedente humiliter & fiducialiter dictâ impetrat. Tandem tale statuit meritum fidei, quod soli gratiæ debetur operanti videlicet & cooperanti, ut Bellarmini distinctione hic utar, quam Augustinus gratiam dicit esse veram, si eam sine meritis concipiamus, quæcumque sunt & dicuntur ab acceptæ fidei momento merita referens ad ordinem illum, quem DEUS in hominis jam iustificati ad æternam beatitudinem deductione ex liberrimæ voluntatis nutu vult observatum, omni merito verè & propriè sic dicto per gratiæ solitudinem excluso, quod paulò post uberius ex Augustini sententia probabitur. Et quia ad orationis meritum provocare videtur Augustinus verbis à Bellarmino citatis, idèò digna sunt ex eadem Epistolâ Augustini verba, quæ hic etiam legantur, Evangelicorum sententiam egregiè confirmantia : *Si dixerimus, meritum orationis precedere, ut gratia donum consequatur, impetrando quidem oratio, quidquid impetrat, evidenter DEI donum esse ostendit, ne homo existimet, à seipso sibi esse, quod, si in potestate haberetur, utique non posceretur. Veruntamen ne saltem orationis putarentur merita precedere, quibus non gratuita daretur gratia, sed jam nec gratia esset, quia redderetur debita, ipsa etiam oratio inter gratiæ munera reperitur.* Plura hujus generis ex hac Epistolâ & aliis Augustini scriptis suo tempore & loco ad orthodoxæ veritatis illustrationem bono cum DEO producentur. Atque eadem leguntur in Epistolâ sequenti ad Bonifacium, in quâ idem planè argumentum contra Pelagianos & prolixissimè tractavit. In opere etiam de *Gratia & libero Arbitrio*, ex quo itidem aliquid subsidii accersivit Bellarminus, nihil habet Augustinus, quod Evangelici non utraq; amplectantur manu. Verba certè, quibus fidei impetrationem aliorum quoque bonorum adscripsit, neque juvant illum, nec Evangelicis obsunt ita enim se ibidem explicavit Augustinus, ut ea etiam, quæ fidem impetrare dixit, soli gratiæ adscripsit ex debito. Ita quod fidem vocavit *voluntatem credendi*, monuit, se in antecedentibus demonstrasse, *illud etiam pertinere ad gratiam &c.* De cætero, Pelagianismi reatum Bellarminus iterum incurrit, Augustino per vim ad partes suas attracto, dum in primo etiam Conversionis actu hominem volendo cooperari DEO vult evincere, quia non scripsit Augustinus, *DEVM operari velle nostrum sine nobis*, sed, *DEVM operari, ut velimus, sine nobis*, dum non attentam nimis subtili hac inter voluntatis motum & actum distinctione, utpotè quâ stante & hic & ille DEI gratiæ debet adscribi, Augustinus in citatis contra Pelagianos operibus vel centies, imò millies ipsum velle non nisi ad DEI gratiam retulerit, cujus testimonia hæcenus non pauca fuerunt adducta. Ultimum quod ex Augustino monet Bellarminus de discrimine actuum internorum & externorum, ad rem facit parum, modò semper id & quidem accuratissimè observetur, quidquid de cooperante hominis voluntate & viribus Arbitrii post Conversionem liberari atque ad inchoatam libertatem restituti in exercitio Christianismi operumque bonorum ab Augustino & Evangelicis ad analogiam fidei & ductum Sacræ Scripturæ docetur, ita in-*